SIMONIS VEREPAEI

# DE EPISTOLIS LATINE CONSCRIBENDIS LIBRI. V.

*NVNC RECENS MELIORE Methodo, Schematismis & Scholijs illustrati.*

ET ACCESSIONE ALIqua noua postremúm aucti.




COLONIAE.
Apud Maternum Cholinum.
Anno M. D. LXXXVI.
*Cum Gratia & Priuileg. Cæs. Maiest.*

*GENERALIS*

# ARTIS EPISTOLICAE LIBRORVM V. SCHEMATISMUS.

Liber {

I. Docet, Quæ Artis Epistolicæ sit vtilitas; Quæ Epistolam scripturi sint officia; Quod Epistolarum decorum; Quæ partes, tum propriæ, tum communes.

II. *Ostendit*, Primùm, quæ sint præcipuæ Epistolarum virtutes; Tum quibus rebus hæc rectè scribendi facultas possit comparari.

III. *Tradit*, vsitatiores Epistolarum Formas, seu species numero plus minus octodecim.

IIII. *Complectitur* elegantiores aliquot Epistolam rectè exordiendi formulas.

V. *Suppeditat* aliquot Latinę linguæ Phrases selectiores, scripturis Epistolas crebrò futuras vsui.

SIMON

Gio. Batta Pasbra

# SIMON VEREPAEVS ORNATISS. PRVDENTISſimóque viro, Materno Cholino, Vrbis Colonienſis ciui & Senatori S. D.

*QVamuis ſcirem, Materne Choline, vir ſpectatiſsime & integerrime, multos præſtanti eruditione viros, & hoc noſtro, & superiori ſeculo, ſedulā in hoc nauaſſe operā vt ſtudioſis politiorum litterarū adoleſcentibus viam aliquam facilem & expeditam commonſtrarent, qua Epiſtolas Latinè politeq́; ſcribendi facultatem poſſent conſequi: Nihil tamen cauſſæ video, quæ ab hoc vtiliſsimo conatu plures alios abſterrere debeat.*

*Etenim, qui vel præcipui fuere huius artis ſcriptores, plerique omnes eò parum ſpectaſſe videntur, (quod in Artium præceptis vtiliter & rectè præſcribendis primum ac præcipuum eſt,) vt quæ Scholarū*

*vsibus elaborantur duabus his rebus commendentur, Breuitate videlicet & Perspicuitate, quorum studium qui neglexerunt, quantumuis elaboratè scripsisse videantur, eos tamen ipsis Institutoribus magis, quàm Discipulis probari voluisse dixerim.*

*Aut si ea triuialibus quoq; scholis, quas vocant, vsui futura voluerint, fatendum tamen, quæ iusto prolixius sublimiúsq; elucubrarint, parum conuenire imperitis adhuc & rudibus tyrunculis, sed natu tantum grandioribus & in humanitatis studijs longius progressis: Nec publicis scholarum prælectionibus esse idonea, quæ in præceptis Breuitatē requirunt cum summa luce coniunctam, sed tantum priuatæ doctorum lectioni.*

*Hæc ego pridem mecum reputans, dum scholasticum hoc saxum adhuc voluerem, summopere tum quidem exoptabam, huiusmodi methodū aliquam diuulgari, quæ necessarias artis Epistolicæ præceptiones, breuiter & apertè complecteretur.*

*Sed diuturna expectatione fatigatus, omníque iam spe destitutus, cœpi ipse tandem*

*dem*

*dem huius rei facere periculum, & ex elaboratis doctorum elucubrationibus, quæ huc magis apta videbantur studiosè hinc inde collegi, & in methodũ redegi tyronũ ætati maximè conuenientem, eóque spectat, quod tres primos libellos, dialogi in morem (quæ docendi ratio rudiorum captui valdè congruens videtur) per quæstiunculas digestos explicaui.*

*Hanc igitur methodum iam absolutam dum Antuerpiensium typographus semel aut iterum prelo subiecisset, & breui distractis exemplaribus, à scholis etiam plura requirerentur, illo cessante, tu cupidis studiosorum votis satisfactum volens, expetisti à me, vt huius elucubrationis nostræ exemplar ad te mitterem castigatius, tuis istic typis excudendum.*

*Quæ equidem in re ita libenter postulationi tuæ acquieui, vt etiam plurimum gauisus fuerim, abs te amico nostri cum primis studioso, occasionem offerri, qua propensissimè tuæ erga me voluntati, mutuo aliquo gratitudinis officio possem ex parte respondere. Conduplicasti interim hoc mihi gaudium, dum nuperrimè signi-*

*ficares, editionem eiusdem libelli iam denuo parare te alteram, mitteremq́; proinde, si quid ad eum expoliendum adiectũ cuperem.*

*Ego verò optime & amicißime Choline, vt tibi morem gererem, vt simul puerilium studiorum commodis inseruirem, sic ad incudem & limam hos libellos reuocaui, vt si cum prioribus conferantur, facile à quouis poßit intelligi, mihi in ea re, nec studium, nec diligentiam defuisse.*

*Quædam mutaui, aut expoliui, paucisq́; aliquando sublatis, plura eorum loco substitui, multa Schematismis & scholijs elucidaui, nonnulla in methodum redegi, puerilibus annis & studijs magis congruentem, & in his omnibus præcipuam hanc operam dedi, vt huiusmodi Præceptiones grata aliqua tum Breuitate, tum Perspicuitate puerilium scholarum studijs, quoad res ipsa pateretur, attemperarem, quas vbi tirones vsu & exercitatione iam satis triuissent, tum demùm illos, qui hæc fusius tractarunt, Brandolinum, Pilortium, Macropedium, vel alios, si videbitur expedire, vtiliter legent, quos tum lectione*

pri-

*priuata, vel absq; doctoris opera facillimè assequentur.*

*Tibi verò optime Choline, nouam hãc libri formam & accessionem denuo inscriptam ac dedicatam offero, vt sit perpetuũ beneuolentiæ erga me tuæ, & singularis nostræ erga te obseruantiæ monumentũ.*

*Tu verò satage, vt hæc eadem puerilium scholarum vsibus sic adornes & commendes tum industria tua, tum operarum tuarum accurata diligentia, vt hinc quam vberrimos fructus cõsequantur huius artis studiosi. Bene vale, & Verepæum tibi addictissimum, amore tuo prosequi, quod facis, perge. Siluæ ducis. Quarto Kalendas Ianuarij, anni partæ salutis cIɔ. Iɔ. LXXXVI.*

# NICOLAVS OVDAERdus I. C. Ad lectorem.

*Absenti possit conceptũ mentis ut absens*
*Exprimere, & tanquam cominus ore loqui,*
*Præstitit is, primus qui consignare tabellis,*
*Edocuitq́ʒ nouis fingere verba notis.*
*Artis Epistolicæ prima hinc manauit origo,*
*Quæ facta est varijs auctior inde modis.*
*Principioque rudis ( rudia vt fermè omnia prima )*
*Paullatim plenæ fluxit in artis opus.*
*Ad quam si facili Methodo deducier optas,*
*Scribere Litterulas & cupis omne genus,*
*Nil opus est frustra cæcis anfractibus erres,*
*Sollicitè quæras quosue sequare duces,*
*En tibi sudauit Verepæi cura libellum,*
*Qui faciet votis vt potiare tuis.*
*Æquaq́ʒ vt inuenias, si non maiora cupitis,*
*Vsque adeo cunctis commodat ille manus.*

Siluæducis. cIↃ. IↃ. LXXXV.

*IVS LAude COro Nat.*

AEGI.

# AEGIDIVS VLIGERVS BRVGENSIS AD Simonem Verepæum.

*PErmulti docuere libris, qua lege modoque* Viues, Macropedius.
*Littera cõſcribi debeat omne genus* Brandolinus Roch.
*Horũ alijs alij melius præcepta dedere* Perusinus.
*Gloria præ reliquis ſed tibi Roche datur.*
*Forſan ad omne feret punctum, ſi prodeat olim,* Iac. Pontanus.
*Pontane egregium quod meditaris opus.*
*Hunc præuerte, ferens iterũ Verepæe ſub auras*
*Reddidit incudi quem tua dextra librum.* Varia ſcripta Verepæi.
*Quo de materia quacunq; oblata ſit, aptè*
*Scribere ad abſentes verba ferenda doces.*
*Intactum linquens nihil, omnia tradis ad artem.* Inſtitutionum ſcholaſticarũ libri tres.
*Hanc perdiſcendam quā tenuiſſe decet.*
*Te ſane genitrix feliciter edidit orbi,* Grãmaticæ libri 5.
*Cuius ab ingenio commoda multa fluunt.*
*Commoda multa fluunt cunctis diſcrimine nullo.* De Tropis & ſchematibus. 1.
*Ætatis, ſexus, ordinis atque loci.*
*Inſtituis ludi tenera cum pube Magiſtros,* De verborum & rerũ copia. 1.
*Vtiliterq; ſui muneris ambo mones.*
*Grammaticæ leges plenè deſcribis: & vſum.* De ingenuis ſcholaſticorum moribus. 1.
*Oſtendis facilem Schematis atque Tropi.*
*Quæ ſit verborum, quæ rerum copia monſtras.*
*Ingenuis pueros moribus eſſe facis.*

Tria opuscula Precationum Selectæ Liturgicæ Enchiridion.

*His etiam tradis Preculas, Populoq; celebrat*
*Qui Christum vera religione, Preces.*
*Quas lingua scriptas Latia, patriove Brabantus,*
*Gallus, Iber, Italus, Teutonus, ore legit.*
*Macte tuo ingenio, rara pietate, labore,*
*Et scriptis alios perge iuuare tuis.*

*Ex Castro Helmondano.*

cIↃ. IↃ. XXC.

EIVSDEM OGDOASTIchon, quo de amicitia cum Verepæo contracta, gloriatur.

*O Me fœlicem, natumq; fauentibus astris,*
*Copia cernendi, quod mihi facta tui.*
*Copia facta tui profugi, tutoq; recepti,*
*Helmondæ paucos mi Verepæe dies.*
*Cernere non tantum licuit, sed adire, tuaq;*
*Voce etiam viua, colloquioq; frui.*
*Nec sermone frui tantum, sed iungere dextras,*
*Pangere & æternum fœdus amicitiæ.*

# SIMON VEREPAEVS BENEVOLO Lectori. S.

*EMISSVRVS in lucem, hanc de Epistolis Latine scribendis lucubrationem, quam superioribus annis, hinc inde collegerã in vsum aliquot studiosorum adolescentũ, quos Hilvarenbecæ, in agro Buscoducensi instituendos curabat eo loci Decanus Henricus Verepæus, meus frater, admonendum te duxi, Lector beneuole, quamobrem in his Epistolicis Præceptis præscribendis à doctis quibusdam viris in nonnullis dissentiam, & recentium quorundam industriam secutus, nonnulla longe aliter tradã, quàm cæteri.*

*Causam vero, ne diutius te remorer, paucis accipe, Illud apud omnes indubitatum, Epistolarum compositionem certum aliquod requirere artificium, quod ex Rhetorum cõmentarijs non minima ex parte nobis mutuandum sit.*

*Sed tamen in Epistolis artificium hoc multo est astrictius, & minus elaboratum, quàm quod Rhetores prescribunt in orationibus ijs ad habendum, quæ in Foro, Curia, vel Senatu haberi consueuerũt, quæ suis debent constare partibus quas & certo rerum dicendarum ordine, figuris, coloribus, & exornationibus Rhetoricis distingui & illuminari oportet.*

*Atque hac de causa Rhetores, vt huiusmdi*

*futuros Oratores rectè ad dicendum informarent tam multa in libris suis praeceperunt de Inuentione, Dispositione & Elocutione, De orationis Rhetoricae partibus.*

*De generibus causarum & statibus, De ornamentis elocutionis figuris, Periodis orationis solutae Numeris, & id genus multis alijs, quae vt Rhetoricae sunt professionis sic praetermitti ab illis nequaquam debuerunt.*

*Sed Epistola, cùm sit absentium amicorum veluti quidam internuntius; mittaturq́; plurimum ad amicos & familiares vt agat cum illis de quotidianis ipsorum rebus & negotijs. apertè docemur, epistolam debere esse imaginem quandam sermonis nostri quotidiani, domestici & familiaris.*

*Ergo quo simplicior fuerit epistola, magisq́; verbis contexta quotidianis, & vulgo tritis, eo ipsa ornatior fuerit, & laude dignior. Idem sentit ad Lucillum scribens Seneca: Qualis, inquit. sermo meus esset, si vnà sederemus aut ambularemus, illaboratus & facilis, tales esse epistolas meas volo.*

*Ad hunc porro locum magis illustrandum conferent non parum, quae Paulus Manutius scribit Epistola quarta, libri secundi. Non soleo inquit studiosius epistolas elaborare. Primum quia si quid scribitur ad familiares. planè familiariter agendum puto Odi illa nimis ambitiosa, constructa verbis & sententijs exquisitis.*

*Et*

*Et infra: Imitetur Epistola sermonem, excurrat libere, nulla astricta legibus & suauem quandam perfecta nō indignā amicitia negligentiā præ se ferat: Alioquin officiū scribendi sæpe inter absentes necessarium gratum quidē semper, iniucundum & graue nimis accurata reddit industria.*

*Ex quibus apertè constat Epistolam scripturis, non tam multis esse opus, atq; plerią; scriptores præceperunt, qui, quasi epistola ab oratione Oratoria nihil, aut certe minimum differat artem hanc epistolicam reddiderunt nimis impeditam ac difficilem, qui ob id à doctis quibusdam notati & grauiter reprehensi sunt.*

*Hæc igitur, vt nonnihil moderemur. In primis Rhetoricam illam bene longam & laboriosam de generibus causarum traditionem, quæ paucis aut breuiter perstringi non potest, ex suis fontibus seu Rhetorum præceptionibus petendam hic omittemus.*

*Adhæc tria illa, Inuentio, Dispositio, & Elocutio quæ proprie ad officium spectant Oratorum, hic obiter tantum, & paucis perstringentur.*

*Sex verò partes illæ orationis Rhetoricæ, Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Confutatio. & Peroratio, vix vnquam omnes in vlla Epistola sunt vsui, sed interdum duæ vel tres, vt plurimum quatuor, rarò plures adhibentur.*

*Exordium & Narratio aliquando, Conclu-*

*clusio pene nunquã abesse potest. Tres reliquæ adhibentur rarissimè in epistolis præsertim ad familiares: Quid igitur necesse de his cum magna temporis & laboris iactura tam accurate disserere?*

*Quod attinet postremo ad elocutionis ornamenta, quæ præcipue consistunt in aptis iuncturis litterarum, in Periodis, Numeris & Figuris, de his, quod Rhetoricæ fere considerationis sint, & raro in Epistolis usui, vel nihil præcipiendum, vel certè paucissimis ea verbis esse comprehendenda, nõnulli eruditione iudicioq́ præstantes viri existimant.*

*Quibus proinde vel prætermissis, vel tantum paucis & obiter explicatis, de iis potissimum in hoc opere agemus, quæ ad scribendas Epistolas sunt quam maxime necessaria. Cuiusmodi fere sunt ea, quæ tribus his prioribus libellis aperta faciliq́ methodo, quam potuere breuissime perstringuntur.*

*Si quis harum verò rerum longiorem tractationem desideret, Lippum consulat Brandolinum, qui de arte scribendi multa doctè & luculentur conscripsit. Bene vale Lector beneuole, & hanc operam nostrã publicæ vtilitatis studio à nobis susceptam boni consule.*

*Helmondæ, Anno partæ salutis* cIↃ IↃ XXC. XV.
*Kal. Sept.*

L I-

# LIBRI I.

## *SCHEMATISMVS.*

Libro I. docetur

- *Quid sit Epistola, Vnde dicatur, Et ad quid primum inuenta.*
- *Geminus artis Epistolicae vsus.*
  - *Lectio,*
  - *&*
  - *Scriptio.*
- *Tria Epistolam scripturi officia.*
  - *Inuentio.*
  - *Dispositio.*
  - *Elocutio.*
- *Epistolarum decorum consistens in consideratione.*
  - *Quis,* / *Cui,* / *Quid* — *scribat.*
- *Epistolarũ Partes*
  - *Propriae solis Epistolis*
    - *Salutatio*
    - *Valedictio*
    - *Inscriptio.*
  - *Quae in Epistolis omitti nunquam possunt.*
  - *Cõmunes cum orationibus Oratorũ,*
    - *Epordium.*
    - *Narratio.*
    - *Conclusio.*
  - *Nec omnes semper in Epistolis necessariae.*
- *Superiorũ Partiũ dispositio.*
  - *Salutatio.*
  - *Exordium.*
  - *Narratio.*
  - *Conclusio.*
  - *Valedictio.*
  - *Inscriptio.*

# LIBER I.

## Quid est Epistola.

EPISTOLA est sermo absentis ad absentem, de re aliqua ad ipsorum sepè alterum, vel vtrumque pertinente.

Epistola vnde dicitur?

*Epistola vox est Græca quidem, sed longo doctorum vsu Latinitate donata.*

*Dicitur autem à Græco verbo* Επιστέλλω *quod Latine mitto significat, quod ad absentes mittatur.*

*Hinc Epistolium deminutiuum, hoc est, parua Epistola.*

*Latinis etiam dicitur litteræ litterarum pluraliter tantum, in oratione soluta.*

*In carmine, verò frequenter etiam littera litteræ numero singulari legitur.*

*Epistolographus Græcis dicitur, qui scribit epistolas: Grammatophorus verò, & Latine Tabellarius, qui eas perfert.*

Epistola ad quid primùm inuenta?

Epistolarū vsus. *Ex eius hoc intelligitur definitione, videlicet vt per eam absentes certiores faceremus, de rebus, quas eos scire, ipsorum, vel nostra, vel aliorum interest, qui præcipuus Epistolarum vsus est.*

Quo ars hæc Epistolica confert?

*Rectè tu isthæc sciscitaris, nam libentius, & pæne aliqua cum voluptate ea discimus, quæ magno nobis vsui futura intelligimus.*

*Artis Epistolicæ fructus percipitur in* { *Lectione.* & *Scriptione.* } Huius artis vtilitas.

Dic isthæc explanatius.

1. Primùm, *qui artem hanc Epistolicam siue rectè scribendi didicerunt, maiore cum iudicio & vberiore fructu, tum etiam fere aliqua cum voluptate, doctorum hominum, seu Veterum seu Recentium Epistolas legunt.*

2. Deinde, *multa Epistolarum doctorum hominum, præsertim vero Ciceronis lectione hoc consequentur, vt ipsi non solum promptius & expeditius scribant, quam cæteri, sed etiam doctius, venustiusq; & elegantius, quam qui ducem sequuntur solam naturam.*

3. Adhæc, *Qui in his Præceptis, vel mediocriter exercitati fuerint, multo paratiores venient ad ipsa dicendi præcepta, & conficiendas Declamationes.*

4. Et postremo *ad ipsas etiam serias orationes, quibus grauiores tractantur & explicantur controuersiæ, In Senatu, vel Curia, vel apud Principes, Reges, & Imperatorees.*

*Sunt igitur hæc præcepta, quamuis fortasse superuacanea nonnullis videri possint, diligenti studio examinanda & ediscenda.*

Officium Epistolographi.

Quod est Epistolam scripturi officium?

*Illud versatur circa hæc tria* { *Inuentionem.* / *Dispositionem.* / *Elocutionem* }

Quæ est Epistolica Inuentio?

Inuentio. Inuentio *Epistolæ, est earum rerum, quas sumus Epistola conscripturi excogitatio, quàm ipsam tamen, nobis fere suggerunt tempora, siue quotidiana vitæ negotia & necessitates, & hinc inde oblatæ variæ scribendi occasiones.*

*Quo fit, vt hæc Inuentio non tam artis sit, quam prudentiæ, quæ paritur ingenio, iudicio, & rerum multarum vsu.*

*Ab ipsa tamen arte, licet perfici non queat, multum tamen potest adiuuari, vt paulo post ostensuri sumus.*

Quid est Dispositio?

Dispositio. Dispositio *est, qua res inuentæ apto & congruenti ordine, quasi in acie milites disponũtur; considerando nimirum quid initio, quid in medio, quid congruentius in fine collocetur.*

*Qua tamen in re, præsertim in ijs Epistolis, quæ de rebus scribuntur quotidianis, & domesticis: aut ad amicos & familiares, non magnopere laborandum est, quod in familiari, & quotidiano sermone cuius Epistola, vt nuncius est,*

*est, ita quoque similis esse debet, dispositionis & ordinis nulla habeatur ratio.*

*Et ordinem ita neglexit in Epistolis ad familiares Cicero, vt se ad Atticum scribere dicat, quidquid in buccam, & alio loco, quidquid primum in buccam venerit.*

Quid est Elocutio?

Elocutio.

*Elocutio est, qua res inuentas & suo quasque loco dispositas, Latinè planè, & ornatè efferimus.*

*Quæ partim in singulis spectatur verbis, partim in coniunctis seu sententiis, non secus quàm fit in ipsis ædificiis, in quibus nunc singulæ partes separatim probantur, nunc verò in vnũ coniunctæ.*

*Sed de Elocutionis ornamentis, quantum hæc ars requirit Epistolica, quæ parum his ornamentis vtendum præcipit, paucis agemus infrà libro Secundo: Prosequamur nunc quæ huic magis seruiunt loco.*

Quæ est optima Epistolam scribendi ratio?

*Optimam hanc esse existimo vt Epistolam scripturus diligenter inspiciat & obseruet Epistolarum decorum, quod in his tribus consistit Epistolarum Attributis seu Circumstantiis. Quis scribat, Cui scribat, Quid scribat. Iisque diligentér consideratis & perspectis, Epistola iam tota accommodetur.*

Epistolæ attributa.

Epistolarũ Decorum.

## Velim hoc Epistolarum decorum paulò fusius explices.

### Quis scribat.

Quis scribat.

HOc est. *Notus ne illi, cui scribat, an ignotus: Amicus, an inimicus.*

*Par illi, an impar genere, fortunis, ætate, eruditione etc.*

### Cui scribat.

Cui scribat.

*Hic quinq, considerantur, Natura, Fortuna, Studium, Dignitas, & Affectio.*

In Natura *spectantur hæc tria.*

*Sexus, Vir, an mulier: Filius an filia.*

*Ætas, Puer, an adolescens, Vir an senex.*

*Natio, Germanus, an Gallus.*

In Fortuna *hæc consideranda,*

*Vitæ status, Seruus, an liber.*

*Natales. Nobilis, an ignobilis.*

*Existimatio. Clarus an obscurus.*

*Opes. Diues, an pauper.*

In Studio *aduertendum.*

*Ars, Liberalis, Grammatica, Dialectica, etc.*

*An Illiberalis, Sartoria, Sutoria.*

In Dignitate, *Personæ qualitas,*

*Vt sacra, an Profana, Pontifex, an Rex.*

*Perpetua, an ad tempus, vt Princeps, an Prætor, etc.*

In Affectione *hæc spectantur.*

Notitia, *Ciuis, an peregrinus.*

Beneuolentia, *Amicus, an inimicus.*
Coniunctio, *Cognatus, an affinis.*
Officia, *Bene, an male de te meritus.*

Quid scribat.

*Hoc est, Scripturo Epistolam accuratè inspiciendum est Argumentum seu materia Epistolæ, & res ipsæ, de quibus velit scribere.*

*Cùm enim materia multiplex sit, magnam requirit scribendi varietatem.*

*Certum verò est, Ciceronem scripturum Epistolam istud Epistolarum decorum diligenter considerasse.*

*Et accuratius multo ad doctos scripsisse, quam ad indoctos: Ad familiarissimos aliter, vt ad Atticum, quam ad minus familiares.*

*Rursus aliter scripsisse de Republica, aliter de priuata: Aliter de rebus serijs, aliter de iocosis, quæ consideratio ad Epistolarum Decorum inprimis spectat.*

*Sed hæc iam satis pro operis nostri instituto: Auspicemur nunc igitur ipsam Epistolam: Et initio quæ eius sint Partes inquiramus.*

Epistolarum igitur quæ sunt partes?

Diuersæ Epistolarũ Partes.

Partes *obserua duplicis esse generis, Aliæ enim Propriæ sunt, & Epistolis omnibus necessariæ vt Salutatio, Valedictio, & Inscriptio.*

*Aliæ vero Communes, vt Exordium, Narratio & Conclusio, quæ vt orationibus maximè conueniunt, ex scholis Rhetorum huc transferuntur, & in Epistolis non semper necessariæ*

*ſunt ſed earum interdum vna aut altera adhibetur.*

*Nam cum ad familiares ſcribimus, aut vna de re ſapius, frequenter abſque vllo exordio, ab ipſa re initium capimus.*

*Et vel ſola Narratione, Petitione, Admonitione, Accuſatione, vel purgatione, & Concluſione, (quæ abeſſe vix poteſt) Epiſtola tota abſoluitur.*

Has partes ſi placet paucis expone.

*Faciam, idque eo ſcilicet ordine, quo in Epiſtolis collocantur: ac tum omiſſis quas diximus communes, vt minus neceſſariys, tres reliquas quæ Epiſtolarum ſunt propriæ, latius ac dilucidius explanabo.*

*Epiſtolarum partes hoc ordine diſponuntur*
- Salutatio.
- *Exordium.*
- *Narratio.*
- *Concluſio.*
- Valedictio.
- Inſcriptio.

Quid eſt Salutatio?

Salutatio. Salutatio *eſt Epiſtolæ initium, quo in primo quaſi congreſſu abſenti ſalutem nunciamus.*

*Hæc duabus de cauſis nunquam omitti poteſt, vel, quod homines in primo congreſſu ſe mutuò ſalutent, Et hominum mores Epiſtola debeat imitari.*

*Vel, quod hac quiſque ratione, ſuam erga ami-*

*amicum declaret voluntatem, & ipsius gratiam inire nitatur, qua de re latius paulo inferius.*

Quid est Exordium?

Exordium *est prima Epistolæ pars, quæ salutationem sequitur, qua eius ad quem scribitur præparatur animus ad amicè, attentè, & intelligenter ea quæ scribuntur, aduertendum.* Exordium.

*Hoc autem Exordium tribus commendatur.*

*Primùm, quod ita subiectæ seruit materiæ, & causæ præsenti, vt ex ea veluti natum videatur.*

*Deinde, quod nec longius, nec breuius fuerit, quam res ipsa & materia postulat.*

*Postremò, quod non est nimis apparatum, sed modestum & venerandum, vt nihil tædij vel suspicionis lectori adferat.*

Narratio quid est?

Narratio *( quæ rarior est in Epistolis quam Exordium) est, qua breuiter, dilucidè & probabiliter explicamus, quæ nos causa adscribendū impulerit.* Narratio:

*Hæc debet esse breuis, propter memoriam, quæ facile labitur.*

*Dilucida, proprijs scilicet & vsitatis verbis explicata, propter intelligentiam.*

*Et probabilis, seu verisimilis, vt lectori fidem faciat.*

Quæ dicitur Conclusio?

Conclusio. Conclusio *est Epistolæ terminus, quo frequenter lectoris animum ad id quod petimus, nitimur quam maximè commouere.*

*In hac si quam rem magnam petieris ab amico, aut graue & arduum quid volueris ipsi persuadere, fit interdum argumentorum repetitio, qua res dispersæ reminiscendi causa in vnum locum reuocantur, & quasi sub aspectum subijciuntur.*

Valedictio Quæ est Valedictio.

Valedictio *est, qua post Epistolæ conclusionẽ precamur alteri prosperam valetudinem, qua in hac vita nihil melius, nihil optabilius alteri precari potes.*

*Quò enim diuitiæ, quo forma, quo cætera valent, si infirma, afflicta, & desperata est valetudo?*

*Hæc etiam, quemadmodum salutatio: ex hominum congressu ac sermone ad Epistolã translata est, & vt ante omnia congredientem, ita post omnia discedentem alteri salutem precari, cuiusdam humanitatis faustiq; ominis argumentum est, & omitti propterea nunquam potest.*

*Vt igitur salutatio orditur Epistolam, ita valedictio eandem concludit.*

Quid Inscriptio.

Inscriptio. Inscriptio *( Græcis Epigraphe, vulgò Superscriptio dicitur) est, quæ in summo Epistolæ iam obsignatæ ponitur.* Con-

*Constat vero nomine & cognomine eius, cui mittetur cum titulo honoris, seu dignitatis, & congruenti Epitheto.*

*Postremo & locus adscribitur, in quo versatur ille cui reddetur Epistola.*

*Sed quoniam de Inscriptione pluribus acturi sumus infrà, quæ in eadem præscribuntur tũ cauenda, tum obseruanda, in eundem quoq; locum reijciemus.*

*Absolutis iam paucis & generatim singularũ epistolarum partibus, age quod promisimus de Salutatione, Exordio, Valedictione & Inscriptione, quod est reliquum absoluamus.*

## DE SALVTATIONE.

Quæ est aptissima Salutationis formula? Quæ conuenientissima salutandi forma.

*Aliter olim veteres salutabant, aliter nunc recentiores nonnulli.*

*Sed ego aptissimam & optimam iudico salutandi rationem, quæ ad veterum salutandi morem simpliciter & paucis verbis expressa est.*

*De vtraque tamen agamus breuiter.*

*Veteres hoc modo salutationem scribebant in tertia persona.*

*Principio, qui scribebat, suum casu recto ponebat nomen, (qua voce prænomen, quo nos iam non vtimur, cognomen & agnomen etiam intellige)*

*Deinde iungebantur hæ litteræ, S.P.D. quæ significant, salutem plurimam dicit.*

Præter Pronomen apponiturne aliud Adiectiuum? Aliud Adiectiuum.

*Inuenias nōnunquam adiuncta etiam alia adiectiua.*

*Cicero pater suauissimæ filiæ Tulliolæ S. D.*
*Tullius Tironi humaniss. & optimo S. D.*
*Cicero fil. Tironi suo dulcissimo S. P. D.*
*Cicero matri optimæ, & suauiss. sorori S.P.D*

*Horum exemplo sic scribere licebit:*
*Nic. Clenardus carissimo suo Latomo S. D. P.*
*Verepæus VVingardo vnice sibi obseruando S.*
*Ghisius Loeffio plurimū colēdo & venerādo S.*

Adscribeturne in Salutatione, eius ad quem scribitur, Dignitatis aut Professionis titulus? Dignitatis aut professionis titulus.

*Hic in Salutatione omitti non potest.*
*M. T. Cicero C. Cæsari Imperatori S. D.*
*M. T. Cicero, D. Bruto Cos. Des. S. D.*

*Recentiores:*

*Paulus Manutius Andreæ Alciato Iurisconsulto S. D.*

*Ioachimus Perionius Carolo Lotharingo Cardinali S. D.*

*Ben. Areas Montanus Remberto Dodonæo Cæs. Maiestatis Medico S. D.*

*Immo nec nostræ dignitatis aut officij titulus omitti solet, cū ad pares, vel minores scribimꝰ vt*

*M. T. Cicero { Imper. S. D. Cælio Aedili Cur.*
*{ Procos. S. D. M. Marcello Cos.*

*Philippus Hispaniarum Rex Ferdinando à Toleto Duci Albano S. D.*

*Anto-*

*Antonius Houæus Abbas, Vigilio Zuichemo auratæ militiæ Cancellario S. D.*

Appellatio nes Magistratuū & honorum.

In huiusmodi, titulis, licetne vti receptis vulgo vocabulis? *vt sunt Canonicus, Decanus, Cardinalis, Consiliarius, Secretarius, Mareschallus?*

*Ne forte barbaris sermonem demus. qui, quod non legerunt, solent irridere & affectatum dicere, cum Care potius Carizemus, & vocabulis vtamur Christianorum vulgo tritis & vsitatis.*

*Cuiusmodi sunt Cardinalis, Pontifex seu Episcopus, Abbas vel Cœnobiarcha.*

*Decanus Canonicus, Presbyter, Cancellarius, Mareschallus, etc.*

*Item Cubicularius, Secretarius, Confessarius Sacellanus etc. nisi quis malit vti Periphrasi A Cubiculis, à Secretis, à Confessionibus, à Sacris. &c.*

*Iam quamuis in horum nonnullis liceat fortassis inuenire vocabula doctis vsitata. Si tamē illa rara sint, & vulgo ignota, non præbeamus nos statim his vulgo irridendos.*

Salutatio quæ vitiosa.

Quæ in Salutatione habentur maximè vitiosa?

Vide Brandol. cap. 9. lib. 1.

*Hæc duo in primis notantur hoc loco ab eruditis.*

I. Quod plerique *in salutatione cum ad magnos & illustres viros scribunt, vt illis nescio quem*

*quem honorem tribuant, nomen suum posterio-re loco collocant. Exemplum fuerit si hoc scribam modo.*

*Gulielmo Lindano Ruremundensiũ Episcopo Simon Verepaus S. D.*

*Domitiano Martialis S.*

*Caeterum si quis fortasse metuat, ne, si aliter scribat, vel superbus, vel impudens habeatur, cùm facinus non sit capitale, retineat is suam, vel absque riuali scribendi consuetudinem.*

Alterum est. *Quod nonnulli in salutatione huiusmodi ament ineptias.* II.

*Sabinus Paulo Capitoni dimidio animae suae S.D.*

*Quod de amico Aristoteles dixit, alteri ipsi, Varroni huius aetatis.*

*Alteri ferme Aristoteli.*

*M. Catoni integritate prope pari.*

*Non multum M. Tullio facundia minori.*

*Haec & alia id genus parum sunt virilia, & Gnathonismũ seu assentionem quandam redolent.*

*Nos si omnino inepti esse volumus, saltem initio ne simus litterarum.*

Quae est noua Recentiorum salutandi formula? *Huiusmodi scilicet.* Nouae salutandi formulae.

*Salue mi N.*

*Salue multùm.*

*Salue plurimùm.*

*Salue Pater optime.*

*Sal-*

*Salue amice integerrime.*
*Salue congerro lepidissime.*
*Salue etiam atque etiam.*
*Salue multùm in Christo Iesu.*
*Salue plurimum obseruande patrue.*
*S. P. amicorum optime & integerrime.*

*Huiusmodi noua salutandi formæ, licet non omnino damnãdæ videantur in loco adhibitæ, Veterum tamen simplicitas nostra hac nouitate nequaquam poterit corrigi.*

*Præstat proinde scripta nostra ad laudatissimam veterum scriptorum normam & exemplar dirigere, quàm nouis & insuetis his vti salutandi modis.*

*Atq; hæc de Salutatione, prima litterarum nostrarum parte sufficiant.*

*Nunc age Epistolam tandem exordiamur.*

## DE EPISTOLARVM Exordio.

### Quæ est forma conueniens exordiendi Epistolam?

Conueniẽs exordium. Lud. Viues.

*Fuit olim mos vetus, quem Seneca vsq; ad suam ætatem seruatum scribit, epistolas his verbis exordiri.*

*Si vales, valeo.*
*Si vales bene est, valeo.*
*Si vales bene est equidem valeo.*
*Si vales bene est ego bellissimè valeo. (bellius,*
*Si vales, bene est, ego perbellè valeo, & indies*
*Si vales, bene est, ego valeo, vt soleo, paulò etiam deterius.* Si

*Si vales gaudeo, equidem valeo, & Cicero atq; Tulliola bellissime valent.*

*Hic fuit olim exordiendi mos veterum, qui nunc pene desijt esse in vsu.*

*Nihil tamen video causæ ob quã nobis Christianis exordiri hoc modo Epistolam non liceat.*

Profer igitur similes aliquot Christianorum exordiendi formas. Christianorum exordia.

*Si vales bene est, ego Dei gratia sic viuo ac valeo, vt nunquam pene in vita suauius.*

*Si rectè vales, carissime pater, vnà cum suauiss. matre, bene est, nos hic Dei dono perbelle valemus.*

*Si rectè vales, vnicè mihi dilecte patrue, est quod plurimum gaudeam, equidem hic beneficio Dei valeo rectissime.*

*Si tu, tuaq; suauissima coniunx socer humanissimus, reliquaq; familia valetis, est cur maximopere gaudeamus, nos Dei munere valemus ex sententia.*

Obseruetur *hic interim scribendi loquendiq́; varietas Dei gratia, Dei dono, Dei munere Dei beneficio, Dei benignitate, vel, quæ Dei benignitas est.*

Nunc reliquas ostende exordiendi Epistolam rationes? Exordia sint libera.

*Epistola pro varietate argumenti varium quoq; ac liberum habet principium, quod breuiter vix vllis præceptis tradi potest, cum tale fere sit, quale id cuiq; visum est.*

*Quin*

*Quin & Cicero optimus scribendi artifex ordinem ita negligit, vt pro re nata, vndecunque illi visum sit, exordiatur epistolam.*

*Quapropter epistolam conscripturo nihil vtilius, quam vt tria illa diligenter secum perpendat, quæ supra consideranda esse dixi, Quis, Cui, & Quid scribat.*

*Reliqua magis prudentiæ & ingenij sunt, quam artis.*

*Sed cum plerique epistolas scripturi maximè circa principia tanquam inter scopulos laborent ac conflictentur, facileque reliquum cursum conficerent si modo ex portus ambagibus euasissent.*

Epistolarũ exordia cur lib. 4. tradantur.

*Subijciam in puerilium studiorum vsum libro. 4. (ne cœptum à nobis iter hoc loco impediatur) idoneas aliquot, tum Veterum, tum Recentium scriptorum Exordiendi rationes, è quibus pueris videre licebit, quemadmodum possit incipi Epistola, donec adoleuerint, ac longius in studijs progressi fuerint, quas qui sæpius & accuratius euoluerit, non difficulter aptum aliquod epistolæ exordium est inuenturus. Progrediamur nunc ad reliqua propositi.*

Est ne aliquod exordiendi genus ex abrupto.

Vsus exordij ex abrupto.

*Est sanè, quod quamuis cum venustate & gratia nihil vetet vbiuis vsurpari. Eius tamen vsus sæpius perspicitur in Patheticis Epistolis, in quibus scilicet vehementiores animi affectus describuntur.* Vt

*Vt cum propter rei alicuius indignitatem & atrocitatem animus ira dolore, vel admiratione perturbatur.*

*Quemadmodum videre est in Epistolis criminosis, vt accusatorijs vel similibus, in quibus in ipso primo litterarum aditu, adhibetur interdum* Querela *aliqua,* Exclamatio, Dubitatio, *aut vehemens aliqua* Interrogatio.

*Item in Epistolis expostulantibus, cum alicuius officium desideramus, aut negligentiam corripimus aut in officio præstando diligentiam cuiusquam excitamus.*

*Postremo huius etiam vsus incidit non raro in Epistolis iocosis & familiaribus, quibus id assequimur, vt non mutam Epistolam Epistolæ, sed viuo sermoni, viuum item sermonē referre videamur.*

Cedo aliquot exempla Principiorum ex abrupto.

*Ea sunt huiusmodi:*

*Eho tu quid ais obsecro?*
*Nunc te obiurgari patere.*
*Sic est, inquam vti scribis.*
*Quin tu igitur huc reuolas?*
*Quin ego igitur tibi gratuler?*
*O casum mirificum sanè, hodie.*
*Næ tu mi N. es homo lepidus.*
*Vin ridere? en tibi argumentum.*
*Quid ego audio mi N. tune adeptus es?*
*Siccine tu igitur amicum veterem negligis?*

*Vide num aptum munus miseris, crumenam, non habenti pecuniam.*

*Quid? hoccine mandaram abeunti tibi, vt ad me nihil perscriberes aliud quàm &c.*

*O factum bene de nostro Lindano, incredibile est, quantum me ea res voluptate affecerit.*

Certa quædam Ciceronis exordia.

Quid sibi volunt Ciceronis Epistolarum exordia, cœpta ab his vocibus, Ego verò? Mihi verò, Tu verò?

*Huiusmodi epistolæ ex illis sunt quibus alicui respondetur ad id de quo ille scripserit. vel de quo per quempiam à se missum interrogarit.*

Ecquid illa? Ain' tu? Ain' tandem?

*Sunt et huiusmodi principia Epistolæ alicui respondentis. Et vtriusque formæ exempla inuenias apud Ciceronem:*

*Illius quidem Epistolam 4. 6. lib. 7. Item 30. lib. 9. Adhæc 5. 12. 23 lib. 16. ad familiares.*

*Huius verò Epist. 21. libri 9. ad fam. & 5. lib 4. ad Atticum.*

Exprimitúrne in exordio nomen eius, ad quem Epistola scribitur?

*Potest quidem, sed his fere de causis:*

I. Vt exprimamus *aliquem affectum animi.*

*Cic. Ego vero Serui vellem, vt scribis, in meo grauissimo casu adfuisses.*

II. Vt in re admodum *graui attentiorem habeamus auditorem.*

*Cic. Ego, Lentule, initio rerum atque actionum mearum.*

III. Cum

IIII Cùm quid vehementer *exprimere volumus quod etiam in tota sit epistola.*

*Cic. Vrbem, mi Rufe, cole, & in ista luce viue.*

*A Seneca fere semper exprimitur.*
*A Plinio nunquam, quod legisse recordor.*
*A Cicerone, his fere quas exposui de causis.*
*Sed de Exordijs nunc ista suffecerint.*

*Dicamus nunc aliquid de ratione amicos in calce litterarum salutandi. Id enim in extrema epistola ante, aut post Vale fieri consueuit.*

Profer aliquot idoneas in calce litterarum salutandi formas.

Formulæ aliquos in fine Epistolæ salutandi.

*Amicos saluta meis verbis.*
*Salutato parentes meo nomine.*
*Salutabis ex me patrem officiosè.*
*Fratribus ex me multam salutem dicito.*
*Sororibus à me salutem plurimam nuntiato.*
*Mihi apud amicos vicarius sis q̃so salutator.*
*Saluebit à me Rauenstenus officiosè, & accuratè.*

*M Henrico Verepæo precaberis à me lætabo omnia & fœlicia.*

*Salutem à me Coeueringo & Gheffio, & siquidem alium beneuolentem videris.*

*Eximios viros Bellerum & Houium etiam atq; etiam ex me saluere iube.*

*Illustrem & generosum adolescentem Lamoràldum à Claerhout Maldeghemij & Pithemij Dominũ officiosè à me salutatum cupio.*

*Ornatiſſimis, celeberrimiſq; V. I. conſultiſſimis D. D. Philippo Boexhornio, & Nicolao Oudaerdo, amicis & patronis meis apprimè colẽdis multã meo nomine ſalutẽ nunciato.*

Salutandi verbum ſuppreſsũ.

Salutandi verbum debétne ſemper exprimi?

*Nequaquam, quod his exemplis confirmatur.*

Cicero.

*Cic. Terentia tibi ſalutem.*

*Idem. Cacilia belliſſima ſalutem.*

*Idem Dionyſio plurimam ſalutem.*

Manutius. Bembus.

*P. Manutius. Vale, & Duditio meo ſalutem.*

*P. Bembus, patri tuo multam ſalutem.*

*Idem, Patri tuo & matri multam ſalutem.*

*Idem, Doctoribus tuis multam ſalutem.*

*Eſt verò Ellipſis huiuſmodi Bembo frequentiſſima, nec eadem infrequens apud nonnullos alios.*

Formæ ſalutandi aliquem alterius nomine.

Quibus verborum formis ſalutabo quempiam alterius nomine?

*Huiuſmodi, aut his ſimilibus.*

*N. officioſe te iubet ſalutari.*

*Iubet te ſaluere plurimum.*

*Iuſſit me tibi ſalutem ſcribere.*

*Plurimam tibi impertit ſalutem.*

*Impertiri te iuſſit plurima ſalute.*

*Iuſſit tibi multam adſcribi ſalutem.*

*Annuntiat tibi, ac tuis multam ſalutem.*

*Vel ſic.*

*Precatur tibi ac tuis omnia feliciſſima.*

*Pre-*

*Precatur tibi omnia euenire prosperrimè.*
*Optat tibi salutem veram ac solidam.*
*Nihil non optat tibi faustum ac lætum.*

*Vel pluribus verbis.*

*Saluebis à Typotio nostro adolescente mihi summè dilecto, & nostri obseruantissimo.*

*Iam Epistolam complicaueram, cùm adiret me forte Thilenius noster, qui te plurimum iussit meis saluere verbis.*

*Cum ad te litteras exararem, aderant forte Plantinus noster, & Moretus, iubentes, vt suo nomine tibi tuisq; salutem plurimam impertirem.*

*Cicero. Valebis, & valere filiam & Cæciliam nostram iubebis, & saluebis à meo Cicerone.*

Quibus verbis salutantem me decorè resalutabo?

Resalutandi formæ.

*His, si libet.*

*Fratres Loæi per me tuis verbis salutati, vicissim te meis officiosè resalutant.*

*Dusiluio & Vlierdeno abs te salutem dixi, qui lætissimi de te audierunt, remittuntq; salutem ingenti fenore cumulatam.*

*Greuenius, quam tuis verbis salutem dixi, libenter accepit, teq; vicissim his litteris officiosè saluere iussit.*

*Danelæi nostri per me diligenter salutati, dederunt hoc mihi negotij, vt te vicissim iuberem suo nomine saluere plurimum.*

Ratio excusandi Epistolam neglectius scriptam.

Qui excusabitur Epistola subitò aut neglectius conscripta?

*His, aut similibus verbis:*

*Epistolæ character neglectior, testis est summæ nostræ festinationis.*

*Hæc exaraui multis distractus negotijs, animoq́, curis valde impedito.*

*Hæc occupatissimus ad te scripsi, & rus iam iam profecturus, & viam iniens.*

*Hæc scripsi ex tempore, plusquam occupatissimus scripturus aliàs accuratius.*

*Ex tempore scripsi hæc, & incogitantius: alioqui nec meditatus satis probus scribendi artifex.*

*Hæc scripsi raptim, & plusquam ex tempore, forte oblato tabellione, scribam alias accuratius.*

*Dictaui hanc ad te epistolam, non scripsi, quod iam essem scribendis litteris defatigatus. Recte vale.*

*Hæc scripsi præpropere & perturbatè, quod ex litteris ipsis, & sensis facile conijcies: quæso festinationi meæ, & breuitati litterarum des veniam.*

*Sed hæc satis superq́. Ad valedictionem nunc accedamus.*

## DE VALEDICTIONE.

Quæ aptissima valedicendi ratio.

Quis aptissimus valedicendi modus?

*Subiectus iste doctorum vsu approbatur.*

*Vale.*

*Vale.*
*Valebis.* } *quæ sæpe pro eodem capiuntur.*
*Valeto.*

*Vel adiuncto Aduerbio.*

*Bene vale.*
*Recte vale.*
*Vale fœliciter.*
*Vale rectissimè.*
*Vale etiam atq; etiam.*

*Vel ex simplici fit duplex.*

*Fac valeas*
*Fac vt valeas.*
*Da operam vt valeas.*
*Cura vt quam rectissimè valeas.*
*Cura vt valeas etiam atq; etiam.*
*Valetudinem tuam fac cures diligenter.*
*Cic. Fac vt tuam, & Tulliæ valetudinem cures.*
*Idem. Tu velim tuam & Tulliæ valetudinem cures.*
*Idem. Te oro etiam atq; etiam, mi frater, vt valeas.*

Verbo Vale, licétne quid adijcere?

*Adijcimus interdum aliquid, quod eius, cui scribimus animo, velimus tenacius inhærere* Post Vale, quid addendum.

*Vale, & stude.*
*Vale, & rescribe.*
*Vale, & Deum time.*
*Vale, & me, vt soles, dilige.*
*Vale, & tui amantem redama.*

*Vale, & me solito amore fac prosequare.*
*Vale, & si me amas, labores ama, & studia.*
*Vale, & huc ad nos quam primum aduola.*
*Vale, & scribe ad me quam frequentissimè.*
*Vale & me tui amantissimum vicissim ama.*
*Vale, & litterarum studijs incumbe diligenter.*
*Vale, & nos sæpius tuis litteris, si est otium, saluta.*

*Plures, qui volet, Valedicendi formas inueniet in fine libri Quinti.*

Neglecta post vale subijcienda.

Si quid forte exciderit animo, licebitne illud subijcere post Vale?

*Licebit sanè his fere modis.*

*Vale, sed percōmode hoc mihi nunc in mentem venit.*

*Vale, sed pæne me fugerat, quod te vel maxime scire volebam.*

*Vale sed heus tu, ferme præterieram quod in primis dictum oportuit.*

*Vale, sed heus, mane paulisper, succurrit nunc, quod omissum dolerem.*

*Vale sed ò me obliuiosum, pæne serò VVingardi negotium in mentem venit.*

*Vale, sed obsignaturo epistolam succurrit negotium Merodani, quod non oportuit prætermissum.*

*Vides, vt in his formulis amoueatur fere omnis suspicio fuci, & simul Lector dormitabundus velut ad rem nouam excitetur.*

*Post huiusmodi vero reuocationem solemus fere addere.* Rur-

*Rursum vale.*
*Iterum vale.*
*Vale iterum atque iterum.*
*Iterumq́, & sæpius vale, mi Pater.*
*Sic & Cicero Valedictionem iterat.*
*Fac plane vt valeas, nos ad summum. Vale.*
*Idem nonnunquam post vale subiecit salue.*
*Ad Tironem. Epist. 9. Vale, salue.*
*Et Epist. 6. Vale mi Tiro, vale, vale, & salue.*
*Plautus. Quando ita tibi libet, Vale atque salue.*

*Sed veteres ea tum potissimum iungebant, quando ab ijs discedebant, quos se nunquam iterum visuros sperabant.*

In Valedictione quid ridiculum habetur, aut ineptum?

Quæ inepta valedicẽdi ratio.

*Ineptias potes dicere, huiusmodi quorundã facetas elegantias.*

*Vale decus meum.*
*Vale corona capitis mei.*
*Vale in proximum reuisum.*
*Vale in annos Nestoreos.*
*Vale pancratice, vel atheletice, &c.*

*Sed hæc hactenus. De Loco & Tempore dicamus nunc.*

Locus & Tempus quorsum adscribuntur?

Cur locus & tempus adijcienda.

*Locus & Tempus excusant interdum litterarum* { *Breuitatem.* / *Raritatem.* / *Negligentiam.* }

*Quin etiam nosse quo loco sit amicus, qui scripsit, & quo scripsit tempore, magnam sæpe adfert tum voluptatem, tum vtilitatem.*

Tempus. *Hac enim ratione sæpenumero vitantur multæ magnæq; rerum perturbationes quæ nonnunquam solent existere, cum Epistola iam scripta, dies aliquot à tabellario, priusquam reddat, adseruatur, & res interim negotiaq; commutantur. Hæc igitur nunquam omitti possunt.*

*Ex tempore adhæc cognoscitur, quæ epistola sit prior aut posterior.*

Locus. Locus igitur qui conscribetur? *hoc modo:*

*Data, vel Datum, vel omisso Participio.* { *Luteriæ.* / *Louanij.* / *Carthagine.* / *Athenis.*

*Cic. Bembus & alij vtuntur interdum Ablatiuo, Alizia, Brundusio, Leucade.*

*Roma, Patauio, Ancone.*

*Sed tunc, (auctore Terentio Scauro) Participium Datum est omittendum, quod in loco, non è loco, significat.*

*Præpositio apponitur* {
*Barbaris, vt ex* { *Dommelen* / *Hiluarenbeck.* / *T'shertogenbosch.*
*appellatiuis, vt ex* { *Ædib. Decani* / *Musæo nostro.* / *Castris, Naui.*

Tempus quinam adscribetur? Tempus.

| | | |
|---|---|---|
| Anno | Domini, | Millesimo, quingentesimo, Octogesimo. |
| | Christi nati, | supra Sesquimillesimum Octogesimum |
| | à Christo nato | Octogesimo post Millesimum Quingentesimum. |

| | | |
|---|---|---|
| Anno | A Christi natali | cIɔ Iɔ XXC. |
| | A Christi natiuitate | |
| | Post Christum natum | |

| | | |
|---|---|---|
| Anno | Humanæ salutis | M.D. LXXX. |
| | Partæ salutis | |
| | Assertæ salutis | |

| | | |
|---|---|---|
| Anno | A partu Virginis | 1.5.8 5. |
| | A partu Virgineo | |
| | Partus salutiferi | |

Dies mensis qui adscribetur? Dies.

*Aliter nunc vulgus, aliter veteres diem scribebant: Vulgus hoc fere modo:*

*Primo die mensis Ianuarij.*

*Tertio Iulij, Decimo Decembris.*

*Sed tu cùm scribis ad eruditos Veterum morem potius imitaberis, hoc modo:*

*Ipsis Kalendis, Nonis, Idibus Ianuarij vel Ianuarijs.*

*Quinto Kalēdas, Nonas, Idus Iulij vel Iulias.*

*Quarto Kalendas, Nonas, Idus, Decembris vel Decembres.*

*Hos autē dies cognosces his paucis versiculis.*

Prima

Dierũ nomenclaturæ.

*Prima dies mensis cuiusq; est dicta Kalendæ.*
*Sex Maius Nonas October, Iulius. & Mars*
*Quatuor at reliqui: Tenet Idus quilibet octo.*
*Inde dies alios omnes dic esse Kalendas.*
*Quas retro numerans dices à mense sequenti.*

*Sed hic oportet nosse numerum dierum cuiusque mensis, quem adiutus his tribus versiculis memoria facilius retinebis.*

Quot mensium singulorum dies.

Ter denos *September habet, totidemq; Nouember.*
*Iunius, Aprilis: reliquis super additur vnus.*
*Sit nisi Bissextus vicenos Februus octo.*

Sed quis dies notatur cum dicis, *Quinto Kalendas Iulij?*

*Notatur quintus ante Kalendas Iulij, nam in huiusmodi loquendi formis Præpositio (ante) intelligitur.*

Quinto vel ad Quintũ Kalendas.

Ecquid differunt Quinto Kalendas, & ad Quintum Kalendas

*Nihil prorsus, licet id aliter nonnulli docuerint.*

*Nec ipsis Kalendis Ianuarij, &, Ad Kalendas Ianuarij. Nec veniam die constituta, &. Ad diem constitutam. Sed de his nimis multa.*

Tempus Christianorũ more ad scriptũ.

Licétne Christianorum ferijs indicare diem? *Quid ni?*

*Natalibus Christi Seruatoris.*
*Pridie Conuersionis S. Pauli.*

*Postridie omnium Sanctorum.*
*Die festo Pascha.vel,Pentecostes,*
*Ferijs assumptæ B. Virginis Matris.*
*Ecclesiasticæ Dedicationis ferijs.*
*Regalibus,vel.Epiphaniorum die.*
*Martinalibus. Hilaribus,Cineralibus.*

*Quin etiam diei, vel noctis hora adscribi potest.*

*Prima luce,summo mane,diluculo,*
*Crepusculo matutino,vel vespertino.*
*Sub cœnam,inter cœnam,mox à cœna.*
*Nocte vel noctu aduentante iam nocte.*
*Alta vel multa nocte,ad multam noctem.*

In extremo subscribétne quisque nomen suum? Nomen in litterarum fine an adscribendũ.

*Hoc primùm ex subscriptionibus natum est, quas olim Principes addebant diplomatis: sed nunc multi existimant postremo se loco nominari, esse cuiusdam moderationis: sed absurdum hoc est, & ridiculum.*

*Nam vt natura primum in quocunq; opere constituit facientem, ita etiam animo legentis primum omnium occurrit, qui scribit, & epistola iam resoluta illius statim nomen inquiritur.*

*Si quis tamen secutus prauam recentium consuetudinem,nomen suum in capite litterarum non expresserit,in calce illud omittere non potest.*

Epitheta an nomini apponenda.

Scribetur ne solum? an adiuncto aliquo Epitheto?

*Nunc solum, nunc leges huiusmodi aliquod adiunctum Epitheton.*

*Tuus, Tuus totus, tuus ex animo.*

*Tuus toto pectore, tuus toto animo & corpore.*

*Tuus, vt scis: tuus, vt nosti: tuus idem qui semper.*

*Tui amantiss. cupidiss. studiosissimus, obseruantissimus.*

*Tibi deditiss. addictis. deuinctissimus N. N.*

Ad nobiles.

Ad nobiles scribenti, quid subscribendum?

*Malim te hoc loco doctissimorum quorundam simplicitatem imitari qui solo vtuntur nomine, vel nomine tantum & pronomine.*

*Sed ne illos fortassis ad quos scribas, (qui frequenter indocti sunt) videaris contemnere, concedamus & hic nonnihil scribentium multorum consuetudini, donec doctorum vsus assentationem hanc euicerit, ac sustulerit.*

*Ad nobiles igitur, & alios singulari dignitate, vel virtutibus illustres, sic scribas, liceat.*

*Ad nobiliores.*

| | |
|---|---|
| *Tuæ Clementiæ* | |
| *Tuæ Celsitudini* | |
| *Tuæ Amplitudini* | *Deditiss. addictiss.* |
| *Ad minus nobiles.* | *Deuinctissimus.* |
| *Nobilitati tuæ* | *Cliens, clientulus. &c.* |
| *Dignitati tuæ* | |
| *Reuerentiæ tuæ* | |
| *Præstantiæ tuæ* | |

Ve

*Vel binis litteris.*

| | | |
|---|---|---|
| *N. T.* | *id est* | *Nobilitati tuæ* |
| *C. T.* | | *Celsitudini tuæ* |
| *A. T.* | | *Amplitudini tuæ* |
| *D. T.* | | *Dignitati tuæ.* |

*Vel ternis litteris.*

| | | |
|---|---|---|
| *R. T. C.* | *hoc est* | *Reuerendæ tuæ Celsitudini.* |
| *R. T. A.* | | *Reuerēdæ tuæ Amplitudini.* |
| *R. T. D.* | | *Reuerendæ tuæ Dignitati.* |

*Sed assentationū huiusmodi iam plus satis. Nunc ad Inscriptionem postremam Epistolarum partem accedamus.*

## DE INSCRIPTIONE

Quæ verò aptissima est inscribendi ratio.

Inscriptio *quid sit, ostendimus supra, cùm Epistolarum partes explicaremus.* Quæ aptissimæ Inscriptiones.

*Aduerte nunc primùm, qua ratione ac modo à doctis hæc conscribatur.*

*Deinde quid in ea decorum sit, quid indecorum.*

*1. Hæc incipit plerunq; ab vno aut altero Epitheto, seu, Adiectiuo.*

*2. Sequitur deinde Nomen & Cognomen illius cui reddetur Epistola.*

*3. Tertio iam loco apponitur Magistratus, Dignitatis aut officij nomen, eaq; exprimuntur casu Datiuo, per huiusmodi vocum ellipsim seu reticentiam. Reddetur hæc Epistola. vel: Dentur hæ litteræ quæ verba nō solent exprimi.*

*4. Postremo iam loco versus dexteram, adscribi-*

*scribitur nomen loci, in Genitiuo fere, subaudiendo Participium, agenti, habitanti aut simili.*

*Licet Manutius, & alij vtantur hic Accusandi casu.*

*Sed exemplis hæc magis illustrabuntur.*

Inscriptionum Exempla.

Ad Patrem:

*Optimo & integerrimo viro Materno Cholino senatori, parenti suo, ad signum Torquis aurei typographo. Coloniæ.*

Ad Præceptorem.

*Eximia eruditione & multa probitate præstanti viro M. Christophoro Vladeracco Præceptori suo vnice colendo. Siluæducis.*

Ad artium liberalium studiosum.

*Generosæ indolis & omni arte liberali politissimo adolescenti Ioanni Quadæ ab Rauensteyn amico summe dilecto. Siluæducis.*

*Plures cuiusque generis inscriptionum formas require in fine libri Quinti. Breuitatis enim studium non sinit nos hic esse prolixiores.*

Inscriptionem quæ ornent aut vituperét.

Ostende nunc quæ inscriptionem vel ornent, vel dedecorent.

1. *Hoc in primis accurate in ea est obseruandum, vt apposito & congruenti vtamur Epitheto, non absurdo, non otioso non mendaci, quod oneret personam non honestet.*

*Aliud enim accõmodabitur Pontifici maximo Cardinali, Episcopo, Abbati, Pastori, vel Theologo. Aliud*

*Aliud Imperatori, Regi, Duci, Comiti, Baroni, vel alteri viro nobili & generoso.*

*Aliud Magistratum decet, aliud hominem priuatum, aliud senem, aliud adolescentem, & doctum aliud, aliud indoctum.*

*Debet igitur Epitheton ipsius personæ qualitati, hoc est, dignitati, conditioni, & officio congruenter & aptè respondere.* Epitheta sint conuenientia, &c.

*Vt exempli causa, indoctum aliquem Iurisperitum, grauē potius dixeris, quàm eruditū.*

*Et negligentem ac supinum Pastorē, quiduis potius quàm vigilantem.*

2. *Huc spectat, vt abstineamus ab Epithetis, quæ vel risum moueant, vel fastidium. Quò pertinent huiusmodi geminationes, Domino D. Domino & M. Item amico suo Pyladeo, & aliæ id genus sordes & ineptiæ.* Non ridicula.

3. *Remouendi sunt etiam ab inscriptionibus huiusmodi elegantiarum flosculi: Hæ aduolent litteræ ad manus proprias, &c.*

4. *Postremo, ne tam multis hoc loco vtamur verbis, nihil omnino necessarijs, vt totum Epistolæ tergum refarciant.*

Nunc age doce, quæ singulis personis apta sint Epitheta.

*Illud certè inscriptionem aptam meditanti accuratè considerandum est.* Epitheta apta personis.

*Sed tu, quæ petis, explicationem exigunt longiorem, quàm vt primo libello, quem quod pueris sit prælegendus, conuenit esse breuiorem, docere hæc commodè liceat.*

*Quamobrem conuenientius fuerit hæc Epitheta unà cum multis inscriptionum formis reponere sub calcem libri Quinti, qui quod intellectu, facilis sit, ut etiam Quartus, pueris enarrari non debet, sed relinquendus est priuatæ cuiusq; lectioni.*

Quartus & Quintus libri non egent opera interpretis.

*Et nunc ambo, tu quærendo ego respondendo sumus non parum delassati, ut vel in crastinum usq; corporis animiq; viribus refocillandis danda nobis sit opera.*

# LIBER II.

## Libri II. Schematismus.

*Duo traduntur hoc libro. II.*

- *Præcipuæ Epistolarũ Virtutes*
  - *Breuitas,* — cui opponitur — *Prolixitas*
  - *Latinitas* — *Barbarũ*
  - *Perspicuitas* — *Obscurũ*
  - *Ornatus* — *Inornatũ*
- *Quibus rebus rectè scribendi facultas cõparetur.*
  - *Sedula huius artis obseruatione.*
  - *Multa elegantiũ Epistolarum Lectione.*
  - *Diligenti doctissimorũ Imitatione.*
  - *Quotidiano scribẽdi Exercitio.*
  - *Accurata Epistolarum Emendatione.*
- *Cũm eleganti encomio Epistolarum M. T. Ciceronis in fine adiecto.*

*De*

## De IIII. Epistolarum virtutibus.

### De Breuitate.

Quæ commendanda Epistolarum Breuitas.

*Et Breuitas & Longitudo accõmodari debent Personis ipsis & rebus seu negotijs.* Epistolarũ breuitas.

*Quæ vt facilius capias, in duabus hæc tabellis depicta clarissimè spectanda dabo.*

*Quod ad personas attinet: Utendũ est Breuitate scribenti ad*
- *Principes ac Nobiles.*
- *Multum occupatos.*
- *Morosos, seu fastidiosos.*
- *Incognitos vel parũ notos.*
- *Amicos simulatos.*
- *Eos qui Breuitate oblectãtur.*

Exemplo sunt Epistolę Plin. ad Traianum, Et contra.

*His enim omnibus quanto fuerit breuior Epistola, tanto solet esse gratior.*

*Quod ad Res vero spectat, Epistolã exigunt longiorem.*
- *Amicitiæ arctior necessitudo.*
- *Temporum mutata qualitas.*
- *Negotiorum copia.*
- *Rerum amplitudo.*
  - *Quo pertinent*
  - *Quæ tractant de Religionis negotijs.*
  - *Vel de negotijs Reipublicæ.*
  - *De præsenti calamitate Belgica.*
  - *De immortalitate Animæ etc.*

Epistola longior.

*Res enim huiusmodi magnæ & arduæ oratione breui explicari non possunt.*

*Nec minus offendit in rebus copiosis & amplis litterarum breuitas, quàm in rebus paruis ac ieiunis longitudo.*

*Unde Cicero D. Brutum increpat, quod in medio ardore belli ciuilis, breues ad se dedisset litteras, cum negotia longissimas flagitarent.*

*Si verò nihil sit horum quod excusetur, Epistolæ breuitas & longitudo ad hanc amussim, seu regulam exigantur.*

Epistola quæ breuior aut longior.

Epistola fit æquo breuior, in qua omittuntur necessaria.

Epistola fit æquo longior, in qua infarciuntur superuacua.

*Sic longissima videbitur breuis, in qua nihil otiosum aut redundans.*

*Breuissima vel Iliade longior, in qua multa inania aut superuacua.*

*Illud interim hic aduertendum, quod amicitiæ vis & necessitudinis arctior coniunctio, interdum longiores, immo vel longissimas Epistolas exigit.*

Epist. 2. & 20. lib. 9.

*Est enim summi amoris, inquit Plinius, negare veniam breuibus Epistolis amicorum, quamuis scias illis constare rationē. Et iterum. Tua verò Epistola tanto mihi iucundior fuit, quanto longior.*

*Ex his igitur facile cognosci potest, quæ litterarum breuitas aut longitudo, increpanda vel excusanda sit.*

*Huc*

*Huc ſpectant, quæ de orationis breuitate ſcripſimus in calce libri de Copia rerum. Tranſeamus nunc ad alia.*

De Latinitate igitur nunc dicendum.

*Rectè admones, Hoc enim ante omnia in Epiſtola neceſſarium eſt, vt in ea conſeruetur Latinitas.* De Epiſtolarum Latinitate.

*Hoc eſt, vt Oratio ipſa Latina ſit, pura ſcilicet & emendata, qua virtute ſi deſtituatur, omnis ſcribentis labor vanus fuerit & inutilis, immo etiam nauſeæ fuerit, quidquid ornatus adhibeatur.*

*Hæc autem virtus optimè cognoſcetur ex vitio huic virtuti oppoſito, Barbarie ſcilicet, aut barbaro, cuius Grammatici tres fecerunt ſpecies: Barbariſmum, Barbaram lexim, & Solœciſmum.* Tres ſpecies Barbari.

Barbariſmus *ſpectatur tum in Ortographia, tum in Proſodia, cùm videlicet dictio aliqua perperam ſcribitur, vt Criſtus pro Chriſtus. Tercenti pro trecenti.* Barbariſmus.

*Aut eadem ineptè pronunciatur, vt ſi pronuncies Charus pro Carus, commigro media longa pro breui. Sed hoc in Epiſtola locum non habet.*

Barbara lexis *eſt vel dictio aliqua peregrina, vt Leuca pro milliari, Fagotum pro faſciculo lignorum, vocabula Gallica.* Barbara lexis.

*Vel Latina quidẽ, ſed inuſitata, vt Recommendo, Recompenſo, pro Commendo, Compenſo, &c.*

Excusantur *tamen quæ longo iam vsu recepta sunt, vt Bombarda, Lancea, Gaza, &c.*

Solœcismus. Solœcismus *( qui fit in oratione, vt superiora duo in dictione )nihil est aliud, quam inepta partium orationis compositio : Vt, veni hic apud me, pro huc ad me. Communico tibi, pro. tecum. Supplico te, pro tibi.*

Stylus Epistolicus. *Hoc igitur de hac omnium præcipua virtute dicimus, vt nimis excultus & ornamentis com pluribus nitidus ac splendens, omnibusq́ Rhetoricis coloribus distinctus, & illuminatus sermo in Epistolis locum non habet.*

*Est tamen eadem Latinis, puris, elegantibus, & electis vocabulis contexenda, & quodã tum naturali, tum etiam oratorio artificio vel mediocriter sic illustranda, vt vitetur plebei sermonis nimia vulgaritas, & omnis absit deformitas, ac sordes: Ac tantum de Latinitate.*

Sequitur nunc igitur Perspicuitas.

Quintilianus cap. 2. lib. 8. Perspicuitas *in quouis scripti genere, summam meretur laudem, vt etiam scriptori inculto. aperto tamen ac dilucido multo libentius ignoscendum videatur, quam alteri politissimo quidem, sed implicato & obscuro.*

*Quod enim cum legitur & non intelligitur, perinde est, ac si scriptum non esset. Unde D.*

Persius cur non probatus D Hieronymo. *Hieronymus Persium Poetam Satyricum in ignem coniecisse fertur, quod eum legens, propter obscuritatem intelligere non posset.*

Quo verò modo hanc orationis perſpicuitatem conſequemur?

*Principio ſi certa quædam orationis vitia, quæ ipſius claritatem obſcurant fugiamus, velut Acyrologiam, Ellipſim, Amphiboliam, & quæ ad Hyperbaton referuntur, de quibus omnibus diximus alio in loco.* Omnis vitanda obſcuritas.

*Fugiamus præterea vocabula priſca, inuſitata, impropria, Poetica, dura, atque barbara, quibus nonnulli iam olim Latinum ſermonem deformarunt, illiusq; ſplendorem obſcurarunt, vt Apuleius, Fulgentius, Capella, Sidonius Apollinaris, & alij.* A quibus abſtinendũ vocabulis.

*Ad priſca & inuſitata ſpectant Olli pro illi, Volt pro vult, Oppidò pro valde, Actutum pro ſtatim, Apluda pro frumenti furfure, quæ iam in diſſuetudinem abierunt.* Priſca.

*Durum eſt, Caperare frontem pro contrahere, Reſpublica Camilli morte caſtrata eſt pro, Reip. robur ipſius morte concidit.* Dura.

*Poetica ſunt huiuſmodi Epitheta, Tabificus, Fatidicus, Veliuolum &c. in ſolis verſibus vſurpanda.* Poetica.

*Ad improprietatem ſpectat, quandocunq; ſententia inuſitato aliquo genere ſermonis, aut improprijs, peregrinisq; vocabulis inuoluitur. Quo & Archaiſmi Plautini, & nonnulli Terentiani referuntur.* Impropria. Archaiſmi.

In Epiſtolis igitur cuiuſmodi cenſes vtendum eſſe vocabulis? Quibus in Epiſtolis vtendum vocabulis.

*Vſitatis, Proprijs, & bene diſpoſitis.*

Vsitata. Vsitata *dicimus, quæ in quotidiana doctorũ versantur consuetudine.*

Propriá. Propria, *sunt rerum vocabula non translata.*

*Non quod omnes figuræ in Epistolis respuendæ sunt, sed quod parcius recipiendæ, quam in alio scripti genere, aut quod ijs vtendum, quemadmodum in textilib. purpura, in coronis, aut mitris vtimur gemmis, in cibis deniq; condimento, in quibus quidquid nimium, aut immodicum est, in vitio est.*

Dispoſita. Dispoſita *sunt, quæ ordine recto, non perturbato, aut longè traiecto construuntur.*

*Hic igitur cauendum præcipitur, ne inter se verba obscurè atq; ambiguè implicentur, vt molestiam aliquam, aut obscuritatem pariant.*

Quid in doctorum scriptis obseruandũ. *Cùm igitur orationis summa virtus sit perspicuitas, eaq; proprietate vocum & earum decenti collocatione mire splendescat, frequenter admonendi sunt adolescentes, vt in optimis quibusq; Scriptoribus assuescant paulatim obseruare, quid in verborum traiectione decorum sit ac venustum. Et contra quid indecorum, aut insuaue.*

Cum fugiendum præcipis Obscuritatē, quid censes de Græcis? Possuntne illa Latinis interdum admisceri?

An Græca Latinis misceri possint. *Hac de re variant multorum sententiæ. Nos cuique suam liberam relinquentes, libere quoq; proferemus nostram.*

*Cùm*

*Cùm verò constet, Ciceronem multis sæpè in monumentis suis vsum esse Græcis, & in Epistolis Græce nonnunquam integras sententias enuntiasse, Ad Atticum verò paucissimæ sint sine Græcanicis vocibus, intelligemus nihil hic nobis prohiberi aliud, quam Græcorum nominum aut sententiarum frequentiam, & vsum eorum minimè necessarium.*



*Qua in re ne temere peccemus, cum opus sit iudicio, quando & quomodo vtendum sit Græcis, sic habeto:*

Quando & quomodo Græcis vtendum.

*I. Primum, cum lingua Græca sit omnium gratiarum & venustatum fecundissima, Græcis licebit vti seu verbis, seu sententiis, si insit in iis, aut graue quid, aut argutum, aut suaue, aut iocosum.*

*Aut huiusmodi aliquid, quod Latine elatum, festiuitatem suam, & vim amitteret, aut certe breuius, & significantius dicitur quam Latine.*

*II. Græcis licet vti, vbi Latinis destituimur, cùm videlicet aliquid fuerit, quod nisi Barbare, aut voce Latinis inaudita exprimi non posset, hic tum nostram egestatem Græcorũ copia subleuabit.*

*III. Cum quid tectius, aut occultius scribendum sit amico, quod non à quouis velimus intelligi, quemadmodum interdum fecit Cicero ad T. Pomponium Atticum.*

*IIII. Cum scribimus ad nobis familiares & eruditos, quibus multa paucis per allusiones*

*Ad eorum igitur studij profectum nonnihil adiuuandum, de Epistolarum ornatu dicendũ nobis aliquid hoc in loco existimamus.*

Primum igitur, Quæ ornata tibi oratio dicitur?

Ornatum *dicimus, in qua abest barbaries omnis, & obscuritas, adest verò tum facilis orationis perspicuitas, tum grata eiusdem compositio, at structura, quæ certis quibusdam ornamẽtis sic conuestitur, vt seu legentis, seu audientis animum suauitate quadam blandè demulceat.* Epistolicæ dictionis ornatus.

Ornatus iste Epistolicus in quibus præcipuè spectatur?

Epistolicus ornatus in quibus spectandus.

*Primum quidem in quatuor illis orationis Latinæ virtutibus iam explicatis, deinde in iuncturis litterarum, in ipsis dicendi generibus, nonnullus etiam in figuris.*

Quænam hæc est litterarum iunctura?

Litterarũ iunctura.

*Cùm verba extrema cum sequentibus primis ita iunguntur, vt nec vastè & hiulcè diducantur, nec asperè concurrant.*

*Quod cum partim consistat in vocalibus iungendis, partim in Consonatibus, necessarium hic est, vt cum aurium iudicio diligenter aduertas, quas tum vocales, tum consonantes rarius aut sæpius iungat ipse Cicero.* Iudicium aurium adhibendũ.

Vitandus Hiatus.

*In primis enim vitandus est concursus frequens Vocalium, quem hiatum dicimus, & orationem vel hiantem, vel hiulcam, quod propter litterarum collisionem non sit recte coniuncta seu concinnata, vt Herculea arma Æneæ allata sunt, vbi vocales difficulter, dure, & aspere concurrunt.*

In consonantium iunctura quid vitiosum.

In consonantibus *quoque vitandus talis earum conflictus, qui reddit orationem pronunciatu difficilem: vt Consulum dignitas tumultum ciuitatis repressit.*

*Ad hanc ineptiam Consonantium iuncturam referre quoq; licet crebram eiusdem Consonantis repetitionem.*

M R S

*Exempli causa M sæpius repetitum orationem reddit obtusam. R geminatum stridet caninum quiddam & insuaue. S sibilat & blesum quid sonat, vt Sosia in solario soleas suebat suas.*

Transitio in dicendi genera.

*Sed huiusmodi doctrina magis spectat ad orationem oratoriam, quam ad Epistolam, in qua sufficit iudicium aurium huc adhibere.*

*Et in Epistolis immodicus ornatus, vt in cornicula pauonis pennæ, irrisioni potius, quã laudi fuerit. Ad alia igitur nos conuertamus.*

Expone nunc tria dicendi genera.

Cic. in ora. perf. Quinti. ca. 10. lib. 12. Cornific. lib. 4.

Dicendi genus, (*Græcis Character dicitur,*) *nihil est alind, quam Personis & Rebus accommodata orationis forma seu figura.*

*Cuiusmodi dicendi genera à Rhetoribus ponuntur hæc tria.* Humi-

Humile, *seu subtile, submissum, attenuatum, Atticum.*

Mediocre, *seu medium & temperatum.*

Sublime, *seu graue, grande, copiosum, amplum.*

*Primum versatur in probando, Medium in delectando, Postremum vero in flectendo mouendoq;.*

Placétne fusius hæc explanare?

Humile, *dicendi genus dicitur, quod puro, dilucido, & populari sermone contentum quasi humi serpere videtur.* Figura attenuata; Seu humile dicendi genus.

*Amat hoc genus, verborum proprietatem, Tropos & familiariter loquendi schemata nō omnino secludit, sed vt alio loco diximus, parcius ac verecundius adhibet, ita vt proxime accedat ad quotidianum & familiarem eruditorum sermonem.*

*Amplificationes & exquisitum orationis cultum & ornatum non admittit. Translationes quidem recipit. sed parcius multo quam genus amplissimum. A numerorum vinculis solutum fere est, ac liberum.*

*Quin & diligentior compositio, & orationis concinnitas in hoc genere fere negligitur: quæ tamen ipsa absque labore & studio nobis scribentibus se frequenter offerunt.*

Mediocre, *dicendi genus est, quod inter humile & sublime vtrisq; se attemperat. vt quod humili sublimius sit & robustius, & sublimi submissius* Figura temperata, siue mediocris.

*Huic*

*Huic omnia dicendi ornamenta conueniũt: Sunt in eo mediocres sententiæ, Verba decora, Schemata illustria, Compositio plena, Omnia denique supra quotidiani sermonis vsum, assurgentia.*

*Plurimum habet suauitatis, quæ partim numeris, partim compositione seu iunctura, partim verborum & sententiarum ornamentis comparatur.*

Figura sublimis.

Quintil ca. 4. lib. 9.

Sublime *genus dicitur, quod constat Verborum & sententiarum magna atque ornata constructione, & plenissima compositione. Est enim crebris figuris adornatum, & ad animos permouendos instructum paratumque.*

*Verba sublimia, grauia, copiosa, figuræ acres: Amplificationes crebræ, Affectus graues & vehementes, Dictio atrox & concitata: Numerus vehemens ac minus suauis: Incisa & membra plurima: Ambitus pauci, sed sonantes, Multus litterarum hiatus, duraque syllabarum coagmentatio.*

*Vim habet hoc genus longe maximam: Modo perstringit, modo irrepit in sensus, inserit nouas opiniones, euellit insitas, amplificationibus extollit orationem & vi superlationum erigit, iram & misericordiam inspirat, & per omnes affectus tractatur.*

Epistola quo cõstet dicendi genere.

Quo verò dicenti genere constare debet Epistola?

*Epistola pro qualitate materiæ, de qua agitur & personæ cui scribitur, nunc grauiter,*

*nunc*

*nunc submisse, nunc moderate scribi debet.*

*Epistolæ enim iocosæ familiares, quæq; de rebus domesticis tractant, in humili genere constituuntur iisque nullam prorsus adhibendam esse artem sed sine cultu scribendi multi admonent, adeoq; quotidianis texendas esse verbis, Cicero, Seneca & alij docent: & fere tales sūt Ciceronis ad vxorem, ad Atticum, & multum familiares aut occupatos.* Quæ humī li cōstent di cēdi genere.

*Si vero scribendū sit aliquid de Philosophia, de Religione de Deo, de Pace, vel Bello, alijsq; magnis Reip negotijs, sublimi id quide scribetur genere, ita tamē vt hic nihil sit simile iudicio aut concioni, nam tres isti Epistolarum characteres sunt à tribus illis dicendi figuris Elocutionis oratoriæ multum diuersi multoq; illis inferiores.* Quæ sublimi.

*Mediocrem porro figuram desiderant Epistolæ cōmendatitiæ, & quibus vel accusamus, vel petimus, vel gratulamur, vel aliquid hoc genus facimus.* Quæ mediocri.

*Modo ne ad Principes & Magistratus, ad doctos & graues viros scribantur, tum enim potius grauitatem quandam, quam temperamentum flagitant.*

*Vnde cum etiam priuatus quispiam ciuitatibus aut Regibus scribet, huiusmodi certe Epistolas nonnihil elatas esse oportet.* Dicēdi genus Epistolarum decoro seruiat.

*Quamuis igitur in humili genere Epistolæ sæpius conscribantur: Pro rerum tamen & personarum qualitate, aliud atq; aliud genus interdum recipiunt.* Quis, Cui, & quid scribat.

*Vt*

*Vt ea omniũ optima dicenda sit, quæ argumento, loco, tempori, & personis sit quam maxime accõmodata. Vt exempli gratia, quæ sit*

*De rebus* { *Amplissimis, grauissima.* / *Mediocribus, concinna.* / *Humilibus, elegans.* }

Figura Epistolæ argumento attemperanda.

*In petendo quidpiam sit verecunda.*
*In narrando lucida, & graphica.*
*In commendando officiosa.*
*In suadendo grauis & sententiosa.*
*In exhortando vehemens & animosa.*
*In consolando blanda & amica.*
*In rebus afflictis sit seria.*
*In secundis gratulabunda.*
*In iocis acumine & lepore.*
*In encomijs delectet apparatu.*

*Denique quæ Polypi in morem ad quemuis argumenti & circumstantiarum habitum se attemperet.*

Quid aptè dicere.

Aptè enim dicere *(vt inquit Cicero) est in dicendo decorum obseruare, vt rebus & personis apta sit & congruens oratio.*

*Cum igitur oporteat Epistolam quasi Mercurium quendam agere, seseq́; pro re præsenti in omnem transfigurare habitum, illud in tanta rerum varietate semper & in primis est obseruandum, vt sit Latina, Perspicua, & Ornata,*

Epistolarũ quæ virtus præcipua.

*à quibus si recessum non erit, nullum est præterea delictum in Epistola, cui non sit aliquo modo parata venia.*

Erit loquacior, *scripta dicetur, tum auido, tum otioso.* *Elabora-*

*Elaboratior erit, & lucernam olens, scripta est erudito.*

*Habebit artificium, talem decebat mittere artifici.*

*Carebit artificio, scripta est ei, cui placet simplicitas.*

*Laconismum habebit, occupatus scripsit occupato.*

*Fucatior erit, scripta dicetur homini curioso.*

*Priscis verbis, antiquario: Blandior amico.*

*Asperior improbo: Licentior familiari.*

*Adulantior homini ambitioso.*

Quæ facilè veniā merentur in Epistolis.

*Deniq; quidquid alibi non vacasset crimine, hic vel à re, vel à persona scribentis, vel à moribus, fortunaq́; & ætate eius cui scribitur, defensionem inueniet.*

*Nunc vbi de Epistolarum oratu & decoro pro instituta nobis breuitate satis multa dixisse videmur: ad ea quæ restant, transeamus.*

Cur Rhetoricas quæso Figuras silentio præteris?

Figuræ *quibus ceu luminibus quibusdam oratio ipsa illustratur, in Tropos & Schemata diuiduntur: Quorum explicationem si persequamur, in maiorem quam velimus, aut par est, excresceret libellus magnitudinem.*

Tropi & Schemata cur hic omissa.

*Et ea ipsa ab auctore ad Herennium, & Quintiliano, tū à Cor. Valterio, & Cyp. Soario, luculenter sanè, & doctè in arte Rhetorica sunt explicata.*

*Et nos de iisdem nuper copiosè, & diligenter scripsimus in libro, de Verborum & Rerum copia.*

*Adde quod & alias diximus, rariorem esse in Epistolis figurarum vsum: nisi quæ fortassis (quod tamen raro vsu venit) de Reip. aut Religionis negotijs de Pace & Bello scriberentur.*

Quid Periodorum & Numerorum ratio, nihil ne ista spectat ad Latinæ orationis ornatum?

*Sic sanè ad ornatum orationis oratoriæ. sed eorum nullus aut certè rarus est vsus in Epistolis: quod vt intelligas de vtrisq; dicam paucissimis verbis, ac primum de Periodis.*

De Periodis. *Tres sunt quibus oratio distinguatur, notæ,* { *Comma, seu incisum* / *Colon siue membrum.* / *Period° aut circuitus.* }

Commata. Commata *dicuntur Periodi partes imperfectæ, & notantur auerso semicirculo, vt, vtendum est ætate.*

Cola. *Cola sunt partes perfectiores, duobus signatæ punctis, vt Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas:*

Periodi. Periodi *sunt orationes absolutæ simplici signatæ puncto ad extremum litteræ, vt*

*Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas:*
*Nec bona tam sequitur, quā bona prima fuit.*

*Horum vero trium vsus, non in quouis scripti genere cernitur. Nam vt inter orationē, & Episto-*

*Epistolam multum est discriminis, sic periodorum vsus crebrior est in doctorum orationibus.* Periodorũ vsus.

*Commatis verò & Colis, vt fere constat sermo noster quotidianus, sic & Epistolæ quæ nobis quotidianum sermonem repræsentant.* Vsus Commatum & Colorum.

*Periodos verò seu Ambitus aut Circuitiones, omnemq; tum fucum, tum ostentationem prorsus respuunt, vt in quibus, quod prouerbio fertur Ficum ficum dicere, idem studiose custodiri debet. Ac tantum de periodis.*

Numerus *est hoc loco suauis quædam orationis modulatio, ex apta pedum tum collocatione, tum varietate prouenienens: & hinc oratio Numerosa, quæ longis breuibusq; syllabis iucundè progreditur. & aptè cadit, quo fit vt aures blanda quadam voluptate capiat ac demulceat.* Quid Numerus.

*Quod ad ipsum iam spectat numerorum vsum, Quintilianus vult Epistolas solutas esse Numeris, nisi cum aliquid supra naturam suã tractant, vt de Rep. de Philosophia de laudibus & vituperatione.* Numerorũ an vsus in Epistolis.

*Quibus ex verbis apertè discimus, in humili dicendi genere, quo fere constant Epistolæ nostræ familiares, numeros minimè obseruari, vt in quibus satis sit, si non vagetur, ac dissoluta sit oratio.*

*Hæc igitur Numerorum ratio maximè conducit ad ornatum orationis Latinæ, quæ de-* Numerorũ vbi spectãda ratio.

*Res enim huiusmodi magnæ & arduæ oratione breui explicari non possunt.*

*Nec minus offendit in rebus copiosis & amplis litterarum breuitas, quàm in rebus paruis ac ieiunis longitudo.*

*Unde Cicero D. Brutum increpat, quod in medio ardore belli ciuilis, breues ad se dedisset litteras, cum negotia longissimas flagitarent.*

*Si verò nihil sit horum quod excusetur, Epistolæ breuitas & longitudo ad hanc amussim, seu regulam exigantur.*

Epistola quæ breuior aut longior.

Epistola sit æquo breuior, in qua omittuntur necessaria.

Epistola sit æquo longior, in qua infarciuntur superuacua.

*Sic longissima videbitur breuis, in qua nihil otiosum aut redundans.*

*Breuissima vel Iliade longior, in qua multa inania aut superuacua.*

*Illud interim hic aduertendum, quod amicitiæ vis & necessitudinis arctior coniunctio, interdum longiores, immo vel longissimas Epistolas exigit.*

Epist. 2. & 20. lib. 9.

*Est enim summi amoris, inquit Plinius, negare veniam breuibus Epistolis amicorum, quamuis scias illis constare rationē. Et iterum. Tua verò Epistola tanto mihi iucundior fuit, quanto longior.*

*Ex his igitur facile cognosci potest, quæ litterarum breuitas aut longitudo, increpanda vel excusanda sit.*

*Huc*

*Huc spectant, quæ de orationis breuitate scripsimus in calce libri de Copia rerum. Transeamus nunc ad alia.*

De Latinitate igitur nunc dicendum.

*Rectè admones, Hoc enim ante omnia in Epistola necessarium est, vt in ea conseruetur Latinitas.* De Epistolarum Latinitate.

*Hoc est, vt Oratio ipsa Latina sit, pura scilicet & emendata, qua virtute si destituatur, omnis scribentis labor vanus fuerit & inutilis, immo etiam nausea fuerit, quidquid ornatus adhibeatur.*

*Hæc autem virtus optimè cognoscetur ex vitio huic virtuti opposito, Barbarie scilicet, aut barbaro, cuius Grammatici tres fecerunt species: Barbarismum, Barbaram lexim, & Solœcismum.* Tres species Barbari.

Barbarismus *spectatur tum in Ortographia, tum in Prosodia, cùm videlicet dictio aliqua perperam scribitur, vt Cristus pro Christus. Tercenti pro trecenti.* Barbarismus.

*Aut eadem ineptè pronunciatur, vt si pronuncies Charus pro Carus, commigro media longa pro breui. Sed hoc in Epistola locum non habet.*

Barbara lexis *est vel dictio aliqua peregrina, vt Leuca pro milliari, Fagotum pro fasciculo lignorum, vocabula Gallica.* Barbara lexis.

*Vel Latina quidẽ, sed inusitata, vt Recommendo, Recompenso, pro Commendo, Compenso, &c.* D 3 Excu-

Excusantur *tamen quæ longo iam vsu recepta sunt, vt Bombarda, Lancea, Gaza, &c.*

Solœcismus. Solœcismus *( qui fit in oratione, vt superiora duo in dictione ) nihil est aliud, quam inepta partium orationis compositio : Vt, veni hic apud me, pro huc ad me. Communico tibi, pro, tecum. Supplico te, pro tibi.*

Stylus Epistolicus. *Hoc igitur de hac omnium præcipua virtute dicimus, vt nimis excultus & ornamentis compluribus nitidus ac splendens, omnibusq; Rhetoricis coloribus distinctus, & illuminatus sermo in Epistolis locum non habet.*

*Est tamen eadem Latinis, puris, elegantibus, & electis vocabulis contexenda, & quodā tum naturali, tum etiam oratorio artificio vel mediocriter sic illustranda, vt vitetur plebei sermonis nimia vulgaritas, & omnis absit deformitas, ac sordes: Ac tantum de Latinitate.*

Sequitur nunc igitur Perspicuitas.

Quintilianus cap. 2. lib. 8. Perspicuitas *in quouis scripti genere, summam meretur laudem, vt etiam scriptori inculto. aperto tamen ac dilucido multo libentius ignoscendum videatur, quam alteri politissimo quidem, sed implicato & obscuro.*

*Quod enim cum legitur & non intelligitur, perinde est, ac si scriptum non esset. Vnde D.* Persius cur non probatus D Hieronymo. *Hieronymus Persium Poetam Satyricum in ignem coniecisse fertur, quod eum legens, propter obscuritatem intelligere non posset.*

Quo verò modo hanc orationis perspicuitatem consequemur?

*Principio si certa quædam orationis vitia, quæ ipsius claritatem obscurant fugiamus, velut Acyrologiam. Ellipsim, Amphiboliam, & quæ ad Hyperbaton referuntur, de quibus omnibus diximus alio in loco.* Omnis vitanda obscuritas.

*Fugiamus prætereà vocabula prisca inusitata impropria, Poetica, dura, atque barbara, quibus nonnulli iam olim Latinum sermonem deformarunt. illiusq; splendorem obscurarunt, vt Apuleius, Fulgentius, Capella, Sidonius Apollinaris, & alij.* A quibus abstinendũ vocabulis.

*Ad prisca & inusitata spectant Olli pro illi, Volt pro vult, Oppidò pro valde, Actutum pro statim, Apluda pro frumenti furfure, quæ iam in dissuetudinem abierunt.* Prisca.

*Durum est, Caperare frontem pro contrahere, Respublica Camilli morte castrata est, pro, Reip. robur ipsius morte concidit.* Dura.

*Poetica sunt huiusmodi Epitheta, Tabificus, Fatidicus, Veliuolum &c. in solis versibus vsurpanda.* Poetica.

*Ad improprietatem spectat, quandocunq; sententia inusitato aliquo genere sermonis, aut improprijs, peregrinisq; vocabulis inuoluitur. Quo & Archaismi Plautini, & nonnulli Terentiani referuntur.* Impropria. Archaismi.

In Epistolis igitur cuiusmodi censes vtendum esse vocabulis? Quibus in Epistolis vtendum vocabulis.

*Vsitatis, Proprijs, & bene dispositis.*

Vsitata. Vsitata *dicimus, quæ in quotidiana doctorũ versantur consuetudine.*

Propria. Propria, *sunt rerum vocabula non translata.*

*Non quod omnes figuræ in Epistolis respuendæ sunt, sed quod parcius recipiendæ, quam in alio scripti genere, aut quod ijs vtendum, quemadmodum in textilib. purpura, in coronis, aut mitris vtimur gemmis, in cibis deniq; condimento, in quibus quidquid nimium, aut immodicum est, in vitio est.*

Dispofita. Dispofita *sunt, quæ ordine recto, non perturbato, aut longè traiecto construuntur.*

*Hic igitur cauendum præcipitur, ne inter se verba obscurè atq; ambiguè implicentur, vt molestiam aliquam, aut obscuritatem pariant.*

Quid in doctorum scriptis obseruandũ. *Cùm igitur orationis summa virtus sit perspicuitas, eaq; proprietate vocum & earum decenti collocatione mire splendescat, frequenter admonendi sunt adolescentes, vt in optimis quibusq; Scriptoribus assuescant paulatim obseruare, quid in verborum traiectione decorum sit ac venustum. Et contra quid indecorum, aut insuaue.*

Cum fugiendum præcipis Obscuritatẽ, quid censes de Græcis? Possuntne illa Latinis interdum admisceri?

An Græca Latinis misceri possint. *Hac de re variant multorum sententiæ. Nos cuique suam liberam relinquentes, libere quoq; proferemus nostram.*

*Cùm*

*Cùm verò constet, Ciceronem multis sæpè in monumentis suis vsum esse Græcis, & in Epistolis Græce nonnunquam integras sententias enuntiasse, Ad Atticum verò paucissimæ sint sine Græcanicis vocibus, intelligemus nihil hic nobis prohiberi aliud, quam Græcorum nominum aut sententiarum frequentiam, & vsum eorum minimè necessarium.*



*Qua in re ne temere peccemus, cum opus sit iudicio, quando & quomodo vtendum sit Græcis, sic habeto:* Quando & quomodo Græcis vtendum.

*I. Primum, cum lingua Græca sit omnium gratiarum & venustatum fecundissima, Græcis licebit vti seu verbis, seu sententijs, si insit in ijs, aut graue quid, aut argutum, aut suaue, aut iocosum.*

*Aut huiusmodi aliquid, quod Latine elatum festiuitatem suam, & vim amitteret, aut certe breuius, & significantius dicitur quam Latine.*

*II. Græcis licet vti, vbi Latinis destituimur, cùm videlicet aliquid fuerit, quod nisi Barbare, aut voce Latinis inaudita exprimi non posset, hic tum nostram egestatem Græcorũ copia subleuabit.*

*III. Cum quid tectius, aut occultius scribendum sit amico, quod non à quouis velimus intelligi, quemadmodum interdum fecit Cicero ad T. Pomponium Atticum.*

*IIII. Cum scribimus ad nobis familiares & eruditos, quibus multa paucis per allusiones*

*Ad eorum igitur studij profectum nonnihil adiuuandum, de Epistolarum ornatu dicendũ nobis aliquid hoc in loco existimamus.*

Primum igitur, Quæ ornata tibi oratio dicitur?

Ornatum *dicimus, in qua abest barbaries omnis, & obscuritas, adest verò tum facilis orationis perspicuitas, tum grata eiusdem compositio, at structura quæ certis quibusdam ornamẽtis sic conuestitur, vt seu legentis, seu audientis animum suauitate quadam blandè demulceat.* Epistolicæ dictionis ornatus.

Ornatus iste Epistolicus in quibus præcipuè spectatur? Epistolicus ornatus in quibus spectandus.

*Primum quidem in quatuor illis orationis Latinæ virtutibus iam explicatis, deinde in iuncturis litterarum, in ipsis dicendi generibus, nonnullus etiam in figuris.*

Quænam hæc est litterarum iunctura? Litterarũ iunctura.

*Cùm verba extrema cum sequentibus primis ita iunguntur, vt nec vastè & hiulcè diducantur, nec asperè concurrant.*

*Quod cum partim consistat in vocalibus iungendis, partim in Consonatibus, necessarium hic est, vt cum aurium iudicio diligenter aduertas, quas tum vocales, tum consonantes rarius aut sæpius iungat ipse Cicero.* Iudicium aurium adhibendũ.

*In*

Vitandus Hiatus.

*In primis enim vitandus est concursus frequens Vocalium, quem hiatum dicimus, & orationem vel hiantem, vel hiulcam, quod propter litterarum collisionem non sit recte coniuncta seu concinnata, vt Herculea arma Ænea allata sunt, vbi vocales difficulter, dure, & aspere concurrunt.*

In consonantium iunctura quid vitiosum.

In consonantibus *quoque vitandus talis earum conflictus, qui reddit orationem pronunciatu difficilem: vt Consulum dignitas tumultum ciuitatis repressit.*

*Ad hanc ineptiam Consonantium iuncturam referre quoq; licet crebram eiusdem Consonantis repetitionem.*

M *Exempli causa M sæpius repetitum orationem reddit obtusam.*

R *R geminatum stridet caninum quiddam & insuaue.*

S *S sibilat & blesum quid sonat, vt Sosia in solario soleas suebat suas.*

Transitio in dicendi genera.

*Sed huiusmodi doctrina magis spectat ad orationem oratoriam, quam ad Epistolam, in qua sufficit iudicium aurium huc adhibere.*

*Et in Epistolis immodicus ornatus, vt in cornicula pauonis pennæ, irrisioni potius, quã laudi fuerit. Ad alia igitur nos conuertamus.*

Cic. in ora. perf. Quinti. ca. 10. lib. 12. Cornific. lib. 4.

Expone nunc tria dicendi genera.

Dicendi genus, *( Græcis Character dicitur, ) nihil est aliud, quam Personis & Rebus accommodata orationis forma seu figura.*

*Cuiusmodi dicendi genera à Rhetoribus ponuntur hæc tria.* Humi-

Humile, *seu subtile, submissum, attenuatum, Atticum.*

Mediocre, *seu medium & temperatum.*

Sublime, *seu graue, grande, copiosum, amplum.*

*Primum versatur in probando, Medium in delectando, Postremum vero in flectendo mouendoq́;.*

Placétne fusius hæc explanare?

Humile, *dicendi genus dicitur, quod puro, dilucido, & populari sermone contentum quasi humi serpere videtur.* Figura attenuata; Seu humile dicendi genus.

*Amat hoc genus, verborum proprietatem, Tropos & familiariter loquendi schemata nō omnino secludit, sed vt alio loco diximus, parcius ac verecundius adhibet, ita vt proxime accedat ad quotidianum & familiarem eruditorum sermonem.*

*Amplificationes & exquisitum orationis cultum & ornatum non admittit. Translationes quidem recipit. sed parcius multo quam genus amplissimum. A numerorum vinculis solutum fere est, ac liberum.*

*Quin & diligentior compositio, & orationis concinnitas in hoc genere fere negligitur: quæ tamen ipsa absque labore & studio nobis scribentibus se frequenter offerunt.*

Mediocre, *dicendi genus est, quod inter humile & sublime vtrisq; se attemperat. vt quod humili sublimius sit & robustius, & sublimi* Figura temperata, siue mediocris.

*submissius* *Huic*

*Huic omnia dicendi ornamenta conueniũt: Sunt in eo mediocres sententiæ, Verba decora, Schemata illustria, Compositio plena, Omnia denique supra quotidiani sermonis vsum, assurgentia.*

*Plurimum habet suauitatis, quæ partim numeris, partim compositione seu iunctura, partim verborum & sententiarum ornamentis comparatur.*

Figura sublimis.

Quintil ca. 4. lib. 9.

Sublime *genus dicitur, quod constat Verborum & sententiarum magna atque ornata constructione, & plenissima compositione. Est enim crebris figuris adornatum, & ad animos permouendos instructum paratumque.*

*Verba sublimia, grauia, copiosa, figuræ acres: Amplificationes crebræ, Affectus graues & vehementes, Dictio atrox & concitata: Numerus vehemens ac minus suauis: Incisa & membra plurima: Ambitus pauci, sed sonantes, Multus litterarum hiatus, duraque syllabarum coagmentatio.*

*Vim habet hoc genus longe maximam: Modo perstringit, modo irrepit in sensus, inserit nouas opiniones, euellit insitas, amplificationibus extollit orationem & vi superlationum erigit, iram & misericordiam inspirat, & per omnes affectus tractatur.*

Epistola quo cõstet dicendi genere.

Quo verò dicenti genere constare debet Epistola?

*Epistola pro qualitate materiæ, de qua agitur & personæ cui scribitur, nunc grauiter,*

nunc

*nunc submisse, nunc moderate scribi debet.*

*Epistolæ enim iocosæ familiares, quæq; de rebus domesticis tractant, in humili genere constituuntur iisque nullam prorsus adhibendam esse artem sed sine cultu scribendas multi admonent, adeoq; quotidianis texendas esse verbis, Cicero, Seneca & alij docent: & fere tales sũt Ciceronis ad vxorem, ad Atticum, & multum familiares aut occupatos.* Quæ humĩli cõstent dĩcẽdi genere.

*Si verò scribendũ sit aliquid de Philosophia, de Religione de Deo, de Pace, vel Bello, alijsq; magnis Reip negotijs, sublimi id quidẽ scribetur genere, ita tamẽ vt hic nihil sit simile iudicio aut concioni, nam tres isti Epistolarum characteres sunt à tribus illis dicendi figuris Elocutionis oratoriæ multum diuersi multoq; illis inferiores.* Quæ sublimi.

*Mediocrem porro figuram desiderant Epistolæ cõmendatitiæ, & quibus vel accusamus, vel petimus, vel gratulamur, vel aliquid hoc genus facimus.* Quæ mediocri.

*Modo ne ad Principes & Magistratus, ad doctos & graues viros scribantur, tum enim potius grauitatem quandam, quam temperamentum flagitant.*

*Vnde cum etiam priuatus quispiam ciuitatibus aut Regibus scribet, huiusmodi certe Epistolas nonnihil elatas esse oportet.* Dicẽdi genus Epistolarum decoro seruiat.

*Quamuis igitur in humili genere Epistolæ sæpius conscribantur: Pro rerum tamen & personarum qualitate, aliud atq; aliud genus interdum recipiunt.* Quis, Cui, & quid scribat.

*Vt*

*Vt ea omniũ optima dicenda sit, quæ argumento, loco, tempori, & personis sit quam maxime accõmodata. Vt exempli gratia, quæ sit*

*De rebus* { *Amplissimis, grauissima.* / *Mediocribus, concinna.* / *Humilibus, elegans.* }

FiguraEpistolæ argumento attemperanda.

*In petendo quidpiam sit verecunda.*
*In narrando lucida, & graphica.*
*In commendando officiosa.*
*In suadendo grauis & sententiosa.*
*In exhortando vehemens & animosa.*
*In consolando blanda & amica.*
*In rebus afflictis sit seria.*
*In secundis grátulabunda.*
*In iocis acumine & lepore.*
*In encomijs delectet apparatu.*

*Denique quæ Polypi in morem ad quemuis argumenti & circumstantiarum habitum se attemperet.*

Quid aptè dicere.

Aptè enim dicere *(vt inquit Cicero) est in dicendo decorum obseruare, vt rebus & personis apta sit & congruens oratio.*

*Cum igitur oporteat Epistolam quasi Mercurium quendam agere, seseq́; pro re præsenti in omnem transfigurare habitum, illud in tanta rerum varietate semper & in primis est obseruandum, vt sit Latina, Perspicua, & Ornata, à quibus si recessum non erit, nullum est præterea delictum in Epistola, cui non sit aliquo modo parata venia.*

Epistolarũ quæ virtus præcipua.

Erit loquacior, *scripta dicetur, tum auido, tum otioso.* *Elabora-*

*Elaboratior erit, & lucernam olens, scripta est erudito.*
*Habebit artificium, talem decebat mittere artifici.*
*Carebit artificio, scripta est ei, cui placet simplicitas.*
*Laconismum habebit, occupatus scripsit occupato.* Quæ facilè veniã mereantur in Epistolis.
*Fucatior erit, scripta dicetur homini curioso.*
*Priscis verbis, antiquario: Blandior amico.*
*Asperior improbo: Licentior familiari.*
*Adulantior homini ambitioso.*
*Deniq; quidquid alibi non vacasset crimine, hic vel à re, vel à persona scribentis, vel à moribus, fortunaq́; & ætate eius cui scribitur, defensionem inueniet,*

*Nunc vbi de Epistolarum oratu & decoro pro instituta nobis breuitate satis multa dixisse videmur: ad ea quæ restant, transeamus.*

Cur Rhetoricas quæso Figuras silentio præteris?

Figuræ *quibus ceu luminibus quibusdam oratio ipsa illustratur, in Tropos & Schemata diuiduntur: Quorum explicationem si persequamur, in maiorem quam velimus, aut par est, excresceret libellus magnitudinem.* Tropi & Schemata cur hic omissa.

*Et ea ipsa ab auctore ad Herennium, & Quintiliano, tũ à Cor. Valterio, & Cyp. Soario, luculenter sanè, & doctè in arte Rhetorica sunt explicata.*

E *Et nos*

*Et nos de iisdem nuper copiosè, & diligenter scripsimus in libro, de Verborum & Rerum copia.*

*Adde quod & alias diximus, rariorem esse in Epistolis figurarum vsum nisi quæ fortassis (quod tamen raro vsu venit) de Reip. aut Religionis negotijs de Pace & Bello scriberentur.*

Quid Periodorum & Numerorum ratio, nihil ne ista spectat ad Latinæ orationis ornatum?

*Sic sanè ad ornatum orationis oratoriæ. sed eorum nullus aut certè rarus est vsus in Epistolis: quod.vt intelligas de vtrisq; dicam paucissimis verbis, ac primum d. Periodis*

De Periodis. *Tres sunt quibus oratio distinguatur, notæ,* { *Comma, seu incisum* / *Colon siue membrum.* / *Period° aut circuitus.*

Commata. Commata *dicuntur Periodi partes imperfectæ, & notantur auerso semicirculo, vt, vtendum est ætate.*

Cola. Cola *sunt partes perfectiores, duobus signatæ punctis, vt Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas:*

Periodi. Periodi *sunt orationes absolutæ simplici signatæ puncto ad extremum litteræ, vt*

*Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas:*
*Nec bona tam sequitur, quā bona prima fuit.*

*Horum vero trium vsus, non in quouis scripti genere cernitur. Nam vt inter orationē. &*

*Episto-*

*Epistolam multum est discriminis, sic periodorum vsus crebrior est in doctorum orationibus.* Periodorū vsus.

*Commatis verò & Colis, vt fere constat sermo noster quotidianus, sic & Epistolæ quæ nobis quotidianum sermonem repræsentant.* Vsus Commatum & Colorum.

*Periodos verò seu Ambitus aut Circuitiones, omnemq́ tum fucum, tum ostentationem prorsus respuunt, vt in quibus, quod prouerbio fertur Ficum ficum dicere, idem studiose custodiri debet. Ac tantum de periodis.*

Numerus *est hoc loco suauis quædam orationis modulatio, ex apta pedum tum collocatione, tum varietate prouenіens: & hinc oratio Numerosa quæ longis breuibusq́ syllabis iucundè progreditur & apte cadit, quò fit vt aures blanda quadam voluptate capiat ac demulceat.* Quid Numerus.

*Quod ad ipsum iam spectat numerorum vsum, Quintilianus vult Epistolas solutas esse Numeris, nisi cum aliquid supra naturam suā tractant, vt de Rep. de Philosophia de laudibus & vituperatione.* Numerorū an vsus in Epistolis.

*Quibus ex verbis apertè discimus, in humili dicendi genere, quo fere constant Epistolæ nostræ familiares, numeros minime obseruari, vt in quibus satis sit, si non vagetur, ac dissoluta sit oratio.*

*Hæc igitur Numerorum ratio maximè conducit ad ornatum orationis Latinæ, quæ de* Numerorū vbi spectanda ratio.

*re graui ad Senatum vel populum, haberi consueuit.*

*Proinde si quis huic studio deditus, numerosam affectet orationem, primum discat necesse est, qui pedes initio, qui in fine magis probentur, quod ex Rhetoricorũ libris cõmodissimè cognosci poterit: Nos nostra potius prosequamur.*

Cur III. causarum genera hic omissa.

Cùm in his Præceptis Epistolicis tradant nonnulli tria causarum genera, Cur ea tu, quæso, silentio præteris?

*Dicam paucis:*

*In Epistolis nostris, quotidianis potissimum & familiaribus, hæc causarum cognitio rarò est necessaria.*

*Ad hæc earum tractio longior est, quam vt in hoc opusculo, (quod ipsa breuitate Scholarũ vsui commendatum cupimus) paucis tradi possit*

*Postremò, cum sint alia pleraq; apud Rhetores quæ scripturis Epistolam multum nosse conferat & huc cõmode transferri nõ queant.*

*Illud te semel admonitum volo, ad hanc artem Epistolicam maximum id momentum allaturum si non multo post hæc scribendi præcepta vtcumq; degustata præbeatur iam quoque studiosis vel exiguus gustus quispiã Rhetorices, sed hæc nimium multa. Nunc ad alia.*

Quibus rectè scribendi facultas comparanda.

Illud igitur nunc ostendendum, Quibus hæc rectè scribendi facultas, facillimè queat comparari.

*rectè*

Rectè scribendi facultas comparatur his quinq;

- Sedula huius artis obseruatione.
- Multa Epistolarum doctorum hominum lectione.
- Diligenti doctissimorum Imitatione.
- Quotidiano scribendi Exercitio.
- Accurata epistolarum Emendatione.

Artem, ostende, in Epistolis scribendis esse nobis necessariam.

*Duabus certè de causis, sunt Artis Praecepta nobis necessaria.* Ars cur necessaria.

*Primùm vt de Eloquentium virorum scriptis, quae nobis proponimus ad imitandum, possimus facilius iudicare.*

*Deinde vt recte viam nobis commonstrent, & naturam ipsam, si non sit optima, adiuuent, aut quoad eius fieri possit, corrigant.*

Sed obseruatione hic opus *est vt nimirũ in scriptis nostris, sic artem celemus, vt eius nihil aut quam minimum Epistola prae se ferat.*

*Simpliciter enim manifesta Ars suspectum facit. Atque vt ille semper probabilior Populo, qui nihil didicisse putabitur: Ita illa demum optima erit Epistola, cuius compositio minimè affectata, artificiosaq; videbitur, sed se naturae quam maximè accommodet: Sed haec ipsa ab ingenijs maturioribus, & arte iam satis excultis potissimum requirimus.*

Adolescentibus quæ concedenda.

Adolescentibus igitur quænam adhuc concedenda?

In Adolescentibus *certe tolerari adhuc debent apertior Artis affectatio Translationum licentia, compositio curiosius paulo numerosa, Dictiones, clausulæ, vel sententiæ ex auctoribus sublectæ, & huiusmodi plura alia, quæ in ipsis laudem merentur, & commendant eorum diligentiam.*

*Sed adultioribus vertuntur hæc vitio, Nisi fortassis in Epistolis, quæ de Reip. negotijs conscribuntur, vel mittuntur ad Reges & Principes, quas paulo comptiores esse decet & grauiores cæteris vt character argumento, quod tractatur, & ipsi personæ, cui scribitur, congruat.*

Multa epistolarum lectio.

Sequitur, vt doceas, opus esse ad recte scribendum multa eloquentium Scriptorum lectione.

*Quæ res vel meridiana luce clarior est, probatione non eget, proinde ne tempus inutiliter teramus, certo illud certius persuasum habeto, nunquam te Latine Pure, & Venuste scribendi facultatem posse consequi nisi multa præcesserit Epistolarũ optimi & eloquentissimi Scriptoris Lectio, eaq; non qualiscunq;, sed ordinate & vtiliter instituta.*

Lectio qui instituenda.

Ostende igitur, quinam vtiliter hæc lectio institui debeat.

*I. Prin-*

I. *Principio cauendum illud, ne in legendis doctorum Epistolis, nunc temere in hunc Scriptorem, nunc rursus in illum rapiaris, nihil pensi habens, quid vel legas vel discas multos modo peruoluas auctores ac libros: Quo studij genere nihil peius, seu perniciosius.*

II. *Unum igitur in manus sumito, eumque optimum ac omnium præstantissimum, non relicturus eundem, nisi sedula lectione ad calcem vsque perueneris, Nihil referre puta, quam multos peruoluas Scriptores, sed quam bonos ac probatos.*

*Præterea non quam multa, sed quam multum legas interesse plurimum credito. Pulcre enim hoc Seneca, vt alia multa,* Varia lectio delectat. certa prodest.

III. *Nihil vnquam legito animo peregrinante, & rebus alijs intento sed totus in lectione esto, in qua tria sunt animaduertenda, Verba, Loquendi formulæ. & Sensa.*

*Primum igitur considerandum, quibus vtantur verbis, ad res, de quibus tractant, explicandas. Deinde quibus vtantur Phrasibus, ac loquendi formulis, Postremo, res ipsæ diligenter spectandæ & expendendæ sunt, de quibus agitur.*

IIII. *In singulis horum est quod signes, est quod teneas, est quod in vsum tuum vertas, Proinde semper adsint tibi calamus & charta, vt. quæ miraberis, quæ delectabunt, insignias aliqua notula.*

*Istidem quæ te remorabuntur, vel à Magistro, vel à Discipulo sciscitare.*

Quid? Nunquid aliud in legendis doctorum Epistolis obseruandum?

*Certè permulta, sed cum ea non sint huic arti propria, proinde ne, quod certè nolim, breuitatis forte metam prætereamus, suaserim potius, vt diligens Paruulorum institutor, ea omnia depromat ex nostro Institutionum Scholasticarum libro I I. Classe I I I. I I. & I. Capite de ratione excutiendæ vtiliter lectionis, eaque ordine disposita, discipulis suis scribenda dictet, vt semper ad manum habeant rectam ac probatam examinandæ lectionis formulã: Sed iam longius euagamur, redeamus ad ea quæ instituti nostri sunt operis.*

Institutiones Scholasticæ.

Illud igitur abs te discere velim, Quem mihi Epistolarum scriptorem legendum præ ceteris existimes.

Quis legendus Epistolarum scriptor.

In primis M. T. Ciceronem, *totius Latinæ Eloquentiæ longè Principem, ex cuius Epistolis, primus Eloquentiæ quasi succus, (qui qualis initio fuerit, permagni inter est) ebibitur.*

Cicero.

*In his præter verba & dictionem, quibus ille reliquos excellit omnes, plurimum inest, & ad res publicas, & ad priuatas iudicij, & prudentiæ. Qua de re plura paulò inferius.*

Plinius.

Plinius Secundus *minimè redundans, cui nihil demere possis, plenus tamen, acutus, festiuus*

*ſtiuus, frequens concinnis ſententijs, doctis atq́; ingenioſis mirifice aptus, qui ſcholaſticas, inter ſe & vmbraticas mittunt Epiſtolas, quibus oportet plus ornatus & condimentorum adiungi, quando rebus non perinde nituntur.* Plinianæ Epiſtolæ quibus vtiles.

*Multum habet neruorum, acriter concludit, & ſuauiſſime premit, in deſcriptionibus rerum eſt mirificus, ſubitus & extemporaneus videtur, cum ſit elaboratiſſimus. Omninoq́; vt in Cicerone plus naturæ, in hoc plus diligentiæ extitiſſe videtur, nec vlla videtur melior eius Epiſtola, quam quæ eſt longior.*

Inter Recentiores quis tibi videtur optimus?

Inter recentiores *de Paullo Manutio Aldi filio, cum magna doctorum hominum approbatione dicere liceat, nullam eſſe laudem Epiſtolicam, cuius apud ipſum non ſit perfectio, vel adumbratio.* Laus P. Manutij Veneti. Ex Rocho Pilorcio.

*Nam quæ nota & forma orationis Epiſtolarum maxime propria cenſetur, ſubtilis nimirum ſiue tenuis, eam perpetuo fere cuſtodiuit, & illas ſic elaborauit, vt tamen elaborate & artificio quodam ſcripta non videantur.* Laus Epiſtolarum Manutij.

*Ineſt in eis cultus ſine cultu, & diligens quædam negligentia, & cum lucernam non oleant, nihil tamen minus olent quam hircum, qua de re à iuſtis ſcriptionum iſtiuſmodi æſtimatoribus dubitari non poteſt.* Cultus ſine cultu.

Suauitas. *Ita porro scribit, vt τὸ ἠθικὸν satis superq; aduertas. mores, naturam & ingenium suum prorsus exprimit, estq; omni genere suauitatis & humanitatis affluentissimus.*

Breuitas. *Breuitatem vbique sectatur, & longitudinem quam graues auctores ab Epistolæ ratione & legibus alienam esse opinantur, studiose fugit.*

Materia. *Materiam non reconditam aliquam obscuram sophisticam, aut à vulgari hominum intelligentia captuq; disiunctam (in quo multi peccauerunt) sed apertam communem, e vita humana sumptam tractat.*

Illecebræ. *Illecebras multas habet, quæ nostrum in legendo studium irritare, & irritatum retinere possint.*

,, *Nec vllum video (pace aliorum dixerim)*
,, *qui ætate nostra scribendis Epistolis cum Pau-*
,, *lo Manutio ex æquo comparetur, quiq; ad il-*
,, *lam M. Tullij præstantiam propius accesserit.*

Euoluēdæ diligenter Epistolæ Manutij. *Quamobrem adhortandi sunt adolescentes, vt post Ciceronem, & Plinium libenter ac sæpe huius eloquentissimi viri epistolas legendas sibi putent & non modo illorum, verum etiam huius lectione orationem suam coloratum iri certo sibi persuadeant. Et infra:*

Manutius an imitandus. *Quod si aliqua ex parte, etiam istos ipsos (de Plinio loquutur & Manutio) imitari voluerimus quia illi (Manutius præsertim) Ciceronem imitari voluerunt, non prorsus vitupe-*

raue-

*rauerim quia sic in nostra sententia nihilominus permaneatur.*

*Ac tantum fere de Manutij laudibus ciuis ille Perusinus Rochus Pilorcius.*

*Ego vero tam illustri Epistolarum eius inductus & incitatus encomio, admonui nuper Antuerpianū typographum Ioannem Bellerum, hominem doctum, humanum & miro animi candore præditum, nobisq́ hoc nomine iampridem amicissimum ut quas in puerilium studiorum usum ex Manutianis Epistolis dudum selegimus, committere typis acceleret.* Selectiores P. Manutij Epistolæ.

Nunc de præstantia Epistolarum Ciceronis paulo pluribus, si placet, differe.

*Tractatio illa, quia longiuscula, ne quid forte cœptum à nobis iter remoretur, absoluemus illa prius quæ reliqua sunt, Imitationem, Exercitationem, & Emendationem, ac tum demum sub huius Secundi libri calcem de Cicerone dicturi, quod expetis.* Translatio

Imitationem ostende, ad polite scribendum studiosis esse necessariam.

*Recte sane istuc admones sed prius ostendendum, quid nam hæc ipsa Imitatio sit, ac tum quod ea ad recte scribendū necessario requiratur, intellectu procliue fuerit*

Imitatio *est studiosa quædam mentis* Imitatio.
*applicatio*

*explicatio, vt eius quam simillimi possimus euadere, quem inter optimos ceteris antecellere cognoscimus.*

*Quæ ipsa quidem Imitatio tantam in omni facultate vim, tantumq; ponderis ac momenti obtinere perspicitur, vt ea qui careat recta & facili via careat, qua ad hanc pure & polite scribendi facultatem pertingere queat. Vt qui in omnibus quæ agit, laborem sæpe magnum suscipit sed non perinde sibi fructuosum.*

Imitatio scribenti necessaria.

A simili.

*Vides, vt opifices discipulis non modo præcipiant, quo pacto instrumenta versare debeant, sed etiam seipsos laborantes intueri & considerare iubent.*

*Sic in Epistolis eleganter scribendis, non sufficit ipsius artis Præceptiones memoria tenere, Sed ad Artem accedere oportet diligentissimam scriptoris alicuius docti, quiq; in scribendis Epistolis excellat, Imitationem, cuius, quo quis in scribendo similior extiterit, hoc & perfectior erit & laude dignior.*

Digressio in laudem Epistolarũ Ciceronis.

*Hunc vero præ ceteris eximium scribendarum Epistolarum artificem M. esse Ciceronem, fatẽtur omnes eruditi, etiam illi qui fœlicissima ipsius ætate floruerunt.*

*Cuius profecto Epistolarum ea summa laudis est, quod cum sint omnium, qui vmquam vsquam floruerunt longe excultissima, ea tamẽ ornentur simplicitate vt absq; omni conscriptæ cultu videri possint, faciles nimirum & illaboratæ, & verbis, vt idem ad Papirium scribit,*

*textæ quotidianis quo etiam nomine, quem cū eo conferamus habemus prorsus neminem.*

*Quapropter si recte tuis studijs consultum velis, ad solius Ciceronis, Imitationem omnes ingenij tui neruos diligenter intendito, eumq;, vt Poetarum loquar more, Nocturna versato manu, versato diurna.*

Sed quid ais obsecro? nullus mihi legendus Epistolarum scriptor, præter vnum Ciceronem?

*Aliud o bone Lectio est, aliud vero Imitatio, nihil vetat multos seu veteres. seu Recentiores legere, modo his id nominibus fiat ac caussis.* Legendi etiam alij præter Ciceronem.

*I. Vt quid à Cicerone, tum verborum, tum sententiarum sumant aut mutuentur deprehendas, Et sic ad illius Imitationem reddaris alacior. à quo maximi nominis Scriptores, tā multa sumpsisse animaduertis*

*II. Vt quemadmodum illi qui de recta declinant via, vbi per deuia & loca salebrorsa aliquantulum aberrarint, optatius in viam redeant & recta ambulent attentius*

*Sic certe non pauci per omne scriptorum genus prima ætate diuagati. errore tandem percepto, ad Ciceronem cupidius se recipiunt.*

*III Vt sicut obtusum quotidiani cibi suauitate palatum, aceto interdum irritamus, Sic assidua Ciceronis lectione contractum (si quod contrahi potest) fastidium aliorum scriptorum acerbitate depellamus.*

*Aut*

*Aut vt quasi obdormientes iniucundo aliorum Scriptorum quasi murmure quodam excitati alacriores redeamus ad intermissam Ciceronis lectionem. Sed de Imitatione hac sufficiant, Nunc ordo postulat vt de Exercitatione dicamus.*

Quo confert, quæso, quotidiana hæc scribendi Exercitatio?

Exercitatio studiosis necessaria.

Quotidiana *scribendi Exercitatio, seu frequens Stylus, doctissimorum virorum calculis perhibetur esse optimus dicendi scribendiq; magister, qui nobis sermonis opulentiam parit & copiam, & mirabilem adfert scribendi dicendique promptitudinem, vt sibi primas non immerito in hac facultate vendicet.*

*Nec studium, quantumuis ardens ac vehemens, ad veram ac solidam Eruditionem parandam multum contulerit, nisi ex arte fiat vsus, & in opus vertantur verba.*

A simili.

*Sicut enim pingere volentibus, (inquit Perusinus ille ciuis) nihil prodest, laudatissimorum pictorum pulcerrima considerare opera, nisi ipsi quoq; arrepto penicillo pingere aliquid instituant.*

Ars & lectio sine Exercitatione parum conducũt.

*Ita sane Præcepta didicisse omnia, Ad hæc M. Tullij, Plinij Secundi, aut P. Manutij aliorumque probatissimorum artificum Epistolas suspicere & admirari, momenti non multum attulerit, nisi tu quoque sumpto in manus*

*nus calamo, te quotidie scribendo diligenter exerceas.*

*Nemo vnquam Orator, inquit optimus & præstātissimus ille dicēdi magister Cicero, nemo egregius scriptor sine multa exercitatione euasit.*

*Vnde Hortensius, nec vmquam præterire diem patiebatur, quo se non, aut domi, aut in foro dicendo, exerceret, sæpe vtrumq; eodem die faciebat.* Cic. 1. de Oratore.

*Et ipse rursus Eloquentiæ princeps Cicero, aiebat se timere, si non frequenter declamaret, ne quod adeptus erat in arte oratoria facultatis exaresceret.*

*Quem locum adducens P. Manutius, ad Paulum, scribens Contarenum: Attende, inquit mi Paulle, & tuam causam, à qua mea disiuncta non est si placet mecum considera.* Epist. 11. lib. 1.

*Ille sibi homo Romanus orationis inopiam metuebat, cum tamen omnibus in hoc genere diuitijs abundaret.* A minori.

*Nos, quibus Latina lingua peregrina est, qui in optima scribendi aut dicendi ratione rudes & infantes pæne sumus, de summa Eloquentia sine studio cogitabimus, & vnam omnium difficillimam rem ludibundi consequemur.*

*Vides me ipsum, qui quid sim, ego quidem non statuo. Sed sunt quibus nōesse nihil videar, nullum pæne diem intermittere, quin aliquid Latine scribam, cum tamen ex quo lapidem hunc voluo, annus vicesimus abierit.*

*Præ-*

A simili. *Praclare Cicero, nec Medicos, nec Imperatores nec Oratores. nec vllos alios, quamuis artis pracepta perceperint, quidquam laude dignum sine vsu & Exercitatione consequi potuisse.*

*Quia igitur nullo in studio, nedum in Oratorio, nuda ars sufficit, nihil quippe natura cito magnum fieri voluit sed pulcerrimo cuiq; operi difficultatem proposuit qua labore & exercitatione vinceretur) in hoc certe, qua bona pars, & riuus quidam dici potest, doctrina Oratoria plus etiam assiduitas Exercitationis, quam Ars efficiet.*

*Quare scribendum est in singulos dies, vt Apelles quotidie lunam ducebat, Et scribendum est bene, bene autem scribendo etiam fiet, vt cito scribatur.*

Non tam multa quã accurate scribendũ. *Nec magni refert, quam multas chartas impleueris, sed quam diligens, quam accuratus fueris, In quo vno profecto sunt omnia, & prora & puppis, quod aiunt, vide 5. classem lib. 2. Instit. Schol.*

*Sed priusquam hunc de Exercitatione locum relinquamus Institutores ipsos monitos velim, vt Exercitationem hanc, de qua multi tam multa praclare scripserunt, in puerorum institutione diligenter vrgeant, dictentq; discipulis suis, donec suis tandem auspicijs, & sine Theseo rem gerere possint, quotidie aliquid, quo stylum exerceant, frequens enim hac scriptio, egregios quoq; Scriptores efficiet.*

Quotidie scribendũ aliquid.

Sed

Sed cuiusmodi esse oportet hæc Epistolarum Themata? Epistolarum Themata.

*In eiusmodi proponendis delectum habere conuenit, vt non quæcunq; prima sunt obuia dicentur Epistolarum argumenta, sed selecta, copiosa, aperta, facilia, faceta, noua, puerorumq; ingenijs accommodata.*

*Non perplexa, obscura aut spinosa, Non arida, aut nimis breuia, & angusta: Sed in quibus cum libenter, tum fructuose exerceantur.*

*Huiusmodi vero vel sumi poterunt ex autoribus, qui in scholis explanantur, vel ex fabulis Poetarum.* Vide classem 2. li. 2. Institutionū Schol.

*Vt ex Ouidij Metamorphosi.*
*Ex Virgilio, Plauto, Terentio, Aristophane.*
*Ex Seneca, Euripide, vel Sophocle.*
*Item ex Historijs profanis vel sacris.*
*Copiam suppeditabunt Liuius, Plutarchus, Xenophon. Q. Curtius. &c.*

*Et vt exemplis rem illustremus.* Ex Tragœdijs.

*Repetatur cædes Polixenæ ex Euripidis Hecuba.*

*Dehortemur Medeam à cæde paruulorum liberorum.*

*Inuehamur in scelus Atrei occidentis fratris liberos.*

*Gratias agamus S. P. Q. R. quod ab exilio Ciceronem reuocarit.* Ex historijs.

*Gratulemur Augusto victoriam de Antonio & Cleopatra.*

*Petamus à Catilina, vt desinat Remp. diuexare.*

Ex sacris. *Dissuadeamus Herodi, ne seruet promissa puellæ saltatrici.*

*Laudemus B. Ioannis Baptistæ inuictam constantiam.*

*Vituperemus Pilatum ferentem sententiam in innoxium.*

*Defleamus atrocissimam infantium puerorum necem.*

Ex tempore præsenti. *Consolemur populum in hac diuturna calamitate Belgica miserrimè afflictum.*

*Vocemus doctos omnes, qui otio & ignauia torpent in vineam Domini.*

*In his, ne longior sim, infinitus & immensus adolescentibus patebit campus.*

Exercitatio in verborũ copia. *Quin etiam idem Argumentum ex copiæ præceptis, iterum ac tertio, tum alijs verbis, tum alio orationis habitu, retexi poterit.*

*Iam & palinodijs exerceri nonnumquam poterunt, quod modo laudarint denuo vituperent: quod suaserint, dissuadeant.*

*Reliqua quæ ad Scholasticam hanc Exercitationem spectant, suggerat liber II. Institutionũ nostrarũ Scholasticarũ Classibus. 5. 4. 3. 2. 1.*

Sufficitne nuda Epistolarum Themata dictare Pueris?

Quibus nuda Epistolarum themata dictanda. *Rectè nos admones, nam istuc obliuione ferme præterieram.*

*Poterunt*

*Poterunt sanè huiusmodi nuda Epistolarū argumenta adolescentibus interdum proponi.*

*Sed præsertim natu grandioribus, & paulo longius in hoc studio progressis.*

*Postremò ijs potissimum, qui ex posteriori libello nostro de copia rationes illas dilatandæ & amplificandæ orationis iam didicerunt.*

*Quibus præterea modus ac via commonstranda, qua Themata huiusmodi tractari & explicari debeant. Qua de re pluribus lib. II. Instit. Schol. Nam tempus & locus monent, ut de Epistolarum Emendatione iam tandem agamus.*

Epistolarum quæ optima emendandi ratio?

Epistolarū Emēdatio.

*Gemina est hæc Epistolarum emendandi ratio, vna fit à Discipulo priusquam Epistolā Præceptori legendam tradat.*

*Altera fit à Præceptore, dum à Discipulo redditam quod errarit, emendat & restituit.*

*Qui si forte nesciat, quod sui sit hac in re muneris, ex Institutionibus nostris id etiam cognoscat.*

*Quod ad priorem vero attinet, Adolescens Epistolam iam semel conscriptam, die & hora constitutis reddendā, nō statim abijciet sed ceu fœtum recens editum diu ac multum lambet, hoc est, emendabit & expoliet.*

*Quem enim mora, quem Limæ etiam labor non offenderint, hic sæpe quantumuis ingeniosos, sed parum sedulos antevertit.*

A Discipulo quæ emendāda.

Prima igitur Emendationis *cura sit vt Epistola repurgetur Barbarismi & Solœcismi vitijs, quæ nusquam mereatur veniam*

*Proximum. Accuratè quoq; considerandum, num quid aut durius dictum aut sordidius.*

*Num quid verbosius, aut contractius, aut parum coherens.*

*Num quid hiulcum, aut asperum, aut alieno loco positum.*

*Num quid argumentum futile, ridiculum infirmum, aut parum probabile.*

*Multa dilatabit aut astringet, multa delebit, mutabit molliet, ornabit illustrabit.*

*Sed ne cuiquam prolixitate sermonis fastidio simus qui fortasse de optima Emendationis ratione plura requiret, Institutiones Scholasticas consulat, & sibi abunde à nobis satisfactum fatebitur. progredere nunc ad alia.*

Epistolarū Ciceronis præstātia.

Reliquum nunc vt ostendas, quanta sit Præstantia Epistolarum Ciceronis.

Cōmendatur Professorum Societatis iudicium.

*Id sanè libens fecero. & ex eo cognosces, maximopere commendādum esse, cùm aliorum quorundam iudicium, tum certe in primis laudatissimæ Societatis Professorum, qui rectissime instituerunt, vt adolescentibus ad Latinæ linguæ candorem & suauitatem progredientibus vnius M. T. Ciceronis Epistolæ; ante omnia à doctoribus in Scholis proponerentur.*

*I. Ex ijs siquidem percipitur, quasi gratissimus*

*mus quidam gustus Latinitatis & facundiæ, quam ipsi postea in hoc admirabili Scriptore, cum ingenti voluptate tamquam thesaurum quendam sunt reperturi.*

Ciceronis Epistolæ cur ceteris omnibus præferedæ.

*II. Ex Ciceronianis Epistolis ad Romani sermonis cultum nitorem, & elegantiam erudimur, & veluti primum ac incorruptum Eloquentiæ sanguinem haurire assuescimus.*

*Et quoniam nemo nec plures nec meliores conscripsit Epistolas ipso M. T. Cicerone, rem certè fecerimus litterarum studijs vtilissimam, si virtutes illarum paulo propius inspexerimus.*

*Meo certè iudicio nulla in ijs virtus à quoq; (qui velit esse iustus rerum æstimator) desiderari potest. Etenim hanc primariam videri laudem Epistolæ eruditus sanè Scriptor Demetrius Phalereus docuit. vt sit nimirum effigies & imago quædam nostræ mentis, & nos ipsos penitus velut in tabella depictos repræsentet, plenaq; sit humanitatis & blanditiarum.*

Epistolarũ prima virtus, vt reluceat in ijs imago scriptoris.

*Eam certè cumulatim potissimum in ijs quæ sunt ad Atticum & Q. Fratrem, inueniemus, Atticum enim præ omnibus necessitudine sibi coniunctis, perinde vt carissimum fratrem, & tamquam alterum se ardentissimè dilexit.*

Epistolarũ decorum à Cicerone diligenter obseruatũ.

*Quid quæso illis præsertim ad Lentulũ humanius?*
*Quid illis ad Memmiũ officiosius aut blãdius?*
*Ad Terentiam, quid illis tenerius ac mollius?*
*Ad Tironem quid suauius, & dulcius fingi potest?*

*Quam multa ad legendum inuitamenta, quanta declaratio amoris, quanta studij, quanta voluntatis.*

Cicero eximius in cõsolando.

*Præterea, cum tam sæpe alios in rebus afflictis consolatur, nonne perspicuè indicat mitissimum ingenium & ad misericordiam mirificè propensam inclinatamq; naturam.*

Cicero ingenij mansuetissimi.

*Consolari quippe miseros vt non est hominis stulti, omniumq; rerum ignari, sed experti & sapientis: ita non est duri ac tetrici, sed facilis, mansueti, & ad omnem comitatem facti.*

Cicero quãtus in omni epistolarũ genere.

*Quãdo gratulatur M. Tullius, quã sincerus?*
*Quando petit, quam pudens ac verecundus?*
*Quando iocatur, quam vrbanus & festiuus?*
*Quando gratias agit, quam nullius meriti oblitus?*
*Quando cõmendat quempiam, quã diligens?*
*Quando narrat, quam apertus?*
*Quando monet, quam serius?*
*Deniq; vt reliquis epistolarum formis percensendis ne longum faciam,*
*Quando quocunque tandem in genere scribit, quam eiusdem exemplar, & ideam perfectè consequitur.*

Cicero nũc breuitate nunc longitudine delectat.

*Delectat nũc scita breuitate, nec retinet ipsa longitudine lectorem, itaq; pascit vt cum ad finem legendo peruenerit, tum demum ad Epistolæ caput redire concupiscat, & illas delicatas epulas non regustare tantum verum etiam omnino absumere (quamquam absumi nunquam possunt) penitusq; concoquere.*

Queritis

*Quæritis argutias? argutissimus est M. Tullius. Desideratis res minimè spinosas, planas, expeditas, è cõmuni hominum vita sumptas? eiusmodi refertæ sunt illius epistolæ.* Cicero argutus & apertus.

*Vultis rursum res haud vulgares? sed magnas, illustres è sapientum cõmentarijs depromptas? harum vobis opulentia hic non deerit.* Argumẽto delectat Cicero.

*Quam præclara hic legetis, de religione erga deos, de caritate erga patriam? de fidelitate in amicos, quam multa de honestate? de maximis virtutibus? quam multa de vitijs?*

*Stylum epistolis vsitatum & conuenientem inuestigatis? non opus est abire longius, hic reperietis. Nam vt plurimum subtile, seu humile, seu infimum dicendi genus (tot enim nominibus appellatur) seruauit.* Gratia Styli.

*Nihilominus interdum propter rerum subiectarum pondus, & grauitatẽ assurgit, ac verbis fulminat, quod idem optimus rhetorum magister Quintilianus fieri oportere admonet.* Dicendi figura.

*Non igitur tantummodo ad exercitationem expolitionemq; styli perquam conducens & necessaria existimanda est, frequens & quotidiana istarum Epistolarum lectio.* Cicero non tantũ gratia styli, sed etiam rerũ cognitione oblectat.

*Quin ad animũ quoq; magnarum multipliciumq; rerum cognitione imbuendum singularẽ quandam vim, & facultatem habet, cum omnes, qui modo politiorum doctrinarum studijs aliquid videre cœperunt, testificentur, præter illum Latinitatis florem, præter illas Romanæ veterisque linguæ delicias, multa se* Cicero ad bene viuendũ incitat.

*prudentissimè grauissimeq́; prolata inuenire, ex quibus tum mens animi ad discendum intelligendumq́; celerior, tum voluntas ad bene viuendum incitatior euadat.*

Difficiles soluit quæstiones.

*De rebus difficilibus arduæ quæstiones nonnunquam in ijs Epistolis concinnè ac breuiter soluuntur, nec paucæ numerantur, quæ illorum incommodorum, quibus circumsepta & circumfusa est vita mortalium, remedia certa præscribant.*

Remedia multorum incommodorum.

*Vt quam medicinam ab illa omnium perturbationum sedatrice & omnium bene factorum beneq́; dictorum matre Philosophia expectare alioqui oportuerat, eam ipsam bona ex parte ab Epistolis Ciceronis sumere, nostro maximo compendio emolumentoq́; possimus.*

Cicero potius quam Plinius pueris in scholis enarrandus.

*Quare cum hæc ita sint, tametsi Plinij Secundi maiorem in modum probo & admiror, vt argumentis varias, concinnas, breues, quotidianis verbis contextas, argutas, lepidas, eruditulas, & suaues.*

*Nihilominus vt in cæteris eloquentiæ partibus, sic in hac ipsa quoq; antesignanum Tulliũ ei multum antepofuerim, ac iuuentutem huius Epistolis audiendis, ad verbum ediscendis, nec non assidua scriptione imitandis, longè vtilius occupari & exerceri posse crediderim. Et hæc modò satis de Cicerone, pergamus ad ea quæ reliqua sunt.*

*LIBER*

# LIBER III.

## Libri Tertij.

### Schematiſmus.

*Explicātur hoc li. III. Octodecim Epiſtolarũ formæ ſeu ſpecies.*

- *Nunciatoria, vel Narratoria.*
- *Commendatitia.*
- *Petitoria.*
- *Hortatoria.*
- *Laudatoria.*
- *Accuſatoria.*
- *Exprobratoria.*
- *Inuectiua.*
- *Excuſatoria.*
- *Deprecatoria.*
- *Iocoſa.*
- *Lacrymoſa.*
- *Conſolatoria.*
- *Officioſa.*
- *Gratulatoria.*
- *Grarias agens.*
- *Imperans.*
- *Dedicatoria.*

### Epiſtolarum quot formæ ſunt, ſeu ſpecies?

Quot, & quę ſint Epiſtolarum formę, *inter huius artis ſcriptores parum conuenit, ſed cum alij his etiam multo pauciores attulerint Et ea res non multum ad inſtitutum noſtrum commoditatis afferat: Ad hæc cum nihil fere*

*per Epistolam scribi possit, quod superiorū formarum terminis atq; ambitu non includatur, In hoc potius elaborandū censem, ut insigniores, & visitatiores Epistolarum species cum suis fere Responsionibus, hoc loco persequamur: De quibus cum Rochus Pilorcius, & Iac. Pontanus accurate scripserint, eos potissimum in hoc scripto sequi visum est.*

Vide Rochum Pilorcium & Brandol. cap. 1. li. 2.

*Cæteras vero Epistolarum species, quarum neq; inuentio difficilis erit, neq; tractatio ab his multum abhorrens, scribentium ingenijs excogitandas relinquemus.*

*Aut alias fortasse adijciemus, si modo iudicauerimus id expedire. Nunc auspicemur ab ea Epistolarum forma, quæ ceterarum omnium frequētissima, Epistola videlicet Nunciatoria.*

## De Epistola Nunciatoria.

Epistolarum prima cur Nunciatoria?

Cic. epist. 1. 5. 7. 9 li & 11. 20. li. 11. Ad Q. Fra. 1. Pli. epist. 6. li. 1. 17. li. 2. 9. lib. 3. & lib. 4.

*Non sine causa prima ponitur, cuius vnius causa inuenta primum est Epistola, vt absentes nimirum de ijs rebus faceremus certiores, quas eos scire, nostra, aut ipsorum, aut certe aliorum, interesset.*

*Sed prius quam progrediamur longius, hoc loco mihi admonendus es, cum hoc primum Epistolarum genus, alijs dicatur Nunciatorium, Item Narratorium vel Expositorium.*

*Alijs rursus Narratiuum aut Indicatiuum, animaduertendum hic esse, Grammaticos docendi gratia, huiusmodi vocabula sibi fingere consueuisse, vt rem subiectam perfectius possent explicare.* Sic

*Sic alij malunt dicere Epistola Petitoria, Hortatoria &c cōmoditatem spectantes in docendo, quā longiore aliqua huiusmodi vti periphrasi vel circuitione, Epistola qua petimus, qua hortamur. &c quod in docendo non parū adferret molestiæ. Sed nunc denuo ad institutum.*

Quæ optima Narratoriam conscribendi ratio? — Nunciatoriam quæ optima cōscribendi ratio.

1. *Cum Epistola esse debeat expressio quædā amoris erga amicum cui scribimus, captanda est initio statim ipsius beneuolentia, quod etiam seruandum est in reliquo decursu quotiescunq; id locus postulat.* — P. Manut. 21. lib. 2. 18. lib. 3.

*Exordium tamen & beneuolentiæ captatio his fere de causis omitti possunt:* — Exordium.

*Cum amicitia mutua exordium nullum exigit.*

*Cum eadem de re sæpius antea scripseris.*

*Cum temporis breuitas nil nisi rei expositionem recipit.*

2. *Sequetur nunc ipsa Narratio, quam his virtutibus commendari necesse est vt sit Breuis, Simplex, Dilucida, Pura, Elegās, & Propria.* — Narratio.

3. *In narrando ita rerum ac temporum seruabitur ordo. vt à lætioribus exordiamur. Et prius de amici rebus dicamus, quàm de nostris, si forte de nostris dicere aliquid voluerimus.*

4. *Narrationis quoq; inspiciendus est finis. Is enim geminus esse potest: Vel sola rei cognitio, vel eiusdem etiam delectatio.* — Narrationis geminus finis.

*Cum*

*Cum sola cognitio quæritur, ita narrabitur, vt si petierit ad se perscribi, sciat nos ipsi diligenter esse satisfacturos.*

*Si non petierit, nos ipsum rei noscendi cupidum reddemus, vt sciat nos etiam absentes, quæ scire is velle debeat, etiã vltro adferre: Et tum rem sic narrabimus, vt nihil cognitione dignũ omittamus.*

*Si verò delectationis causa narramus quippiam admittenda tum erit maior verborũ sententiarumq́ urbanitas, simul ac varietas vt ab initio omnia ad iucunditatem ipsam conferantur.*

*In Epistola Narratoria, qua partim gesta, partim gerenda exponentur, danda est opera, vt præterita & præsentia sic exponamus, vt ex ijs futura coniecturis quodammodo colligi queant.*

*Et vbi quid in quaq; re aut boni, aut mali sit declarauimus, tum quoq; paucis aperiendũ est, quid illi faciendum arbitremur.*

*Ad extremum, similia pollicebimur nos esse scripturos. & ab amico, vt ipse quoq; (si quid noui acciderit) ad nos perscribat, petemus.*

Respõsio. Ad Narratoriam Responsio.

Cic. 21. lib. 5. 32. lib. 7. 18. li. 12. Pli. 5. 7 lib. 9. Cic. 8. li. 2. 15. lib. 4.

*Ad expositionem rescribemus, iucundas fuisse nobis amici litteras ex quibus, quæ scire desiderabamus, omnia perfectè cognouerimus. Gratũ fuisse amorem quo nos prosequitur, &c. Rogabimus vt ita facere pergat, vti cœpit, & quam sæpissimè.* Præte-

*Præterea gratias etiam agere poterimus, vicissim & nos scribentes ea, quorum ipsum cognoscendorum esse auidum putamus.*

*Si quid autem ab amico desideramus, quod prætermissum esse videatur, modeste illus de rebus ipsum admonebimus, ita vt ad laudē potius nostra verba spectent*

*Illud quoq; non ignorandum, in Epistolis huiusmodi Nuntiatorijs nullo ad eam rē quam scribim⁹, opus esse apparatu, vel artē, sed omnia simpliciter, & verbis simplicibus esse expediēda: Nisi fortasse quid de Deo de Religione de Rep. Bello, aut Pace, aut rebus similibus quæ quandam præ se ferant grauitatem, dicendum erit. Nunc ad Commendatitiam accedamus.*

## De Epistola Commendatitia.

Cic. 17. 31. lib 13 13 li: 9. & ōes li. 13. Plin. 24. lib 1. 14. 15. lib. 4. 6. 8. lib. 6.

Epistola Commendatitia *dicitur, qua aliquem alicui commendamus. Quæ quo modo ac ratione sit conscribenda, prius quam ostendamus, initio quædam considerauda sunt.*

*Primum quod ad ipsum nomen seu vocabulum spectat Cōmendatitia, est illud vsitatum Ciceroni, vt Epistola 5 lib. 5. Et rursus Epist. 26. libri 13. Vox igitur hæc Ciceronis retinenda. Illa verò Commendatoria, qua plerique vtuntur, reijcienda.*

*Porrò cum huius generis Epistolæ, & variæ sint, & in vsu creberrimo obseruandum est, eas pro Personarum & Rerum qualitate aliter atque aliter esse tractandas.*

In

In omni ſiquidem Commendatione *tria diligenter conſiderarè nos oportet.*

Perſona eius qui cõmendatur.

1. Perſonam commendandam, *Aliter enim nos, aliter liberos, aliter familiares & amicos, aliter hoſpites & incognitos commendamus.*

*Rurſus in perſona commendādā habenda eſt ratio doctrinæ, virtutis, dignitatis, profeſſionis, nobilitatis, fortunæ, &c. eius qui commēdatur.*

*Ut non eodem modo doctum & indoctum, ſacrum & profanum, magiſtratum gerentem ac priuatum, diuitem atq; inopem, liberum ac ſeruum, nobilem atq; ignobilē commendamus, de horum enim vnoquoque conuenienter, & accommodatè loquendum eſt.*

Perſona eius cui quis commendatur.

2. Cui aliquem commendemus, *eſt aduertendum Nec enim eodem modo cōmendandus eſt quis Principi atq; amico, nec magiſtratui ac priuato. Cum amicis ſiquidem liberius, & ſine magna cauſa agere licet: Principibus verò nec omnes, nec omnia, nec ſine magna neceſſitate commendare fas eſt. Quin etiam omnia apud illos grauiter & ſeuere agenda ſunt.*

Res ipſa.

3. Rerum quoque habenda eſt ratio, *vt non niſi iuſta, honeſta, aut neceſſaria ſuſcipiatur commēdatio: deinde vt hæc ipſius cui quid commendas ſit dignitati, facultati naturæq; accommodata.*

*Cum enim in omni commendatione ſit rei alicuius petitio, debet hæc ipſa tribus commendari, Honeſtate, facultate, & remuneratione, vt infra dicetur in Epiſtola Petitoria.*

*Ad*

*Ad honestatem spectat, vt nihil petatur, nisi honestum ac iustum.*

*Ad facultatem, vt ea petantur, quæ ab amico præstari queant.*

*Ad Remunerationem, vt nos memores & gratos polliceamur.*

His iam bene consideratis, talis erit commendatio-

*1. Causas scribemus, quæ nos ad cōmendandū impulerunt: Cuiusmodi sunt, vel amica cum eo, quem commendamus consuetudo: vel acceptum ab eo beneficium, vel ipsius Doctrina, Virtus, Nobilitas, Dignitas, &c.*

*2. Rem ipsam iam exponemus, quam pro amico postulamus. Hanc autem petitionem, vt iam dictum est, oportet esse æquam honestam, necessariam, ipsiq; ad quem scribimus factu facilem.*

*3. Postremo iam loco pollicebimur commendatum, & nos futuros gratos, studiumq; nostrū & operam mutuam cum offeret occasio, deferentes, Licet id non semper à Cicerone sit obseruatum.*

In Principio Commendatitiæ captanda est interdum beneuolentia.

*Si enim Commendatio vulgaris fuerit, aut parum honesta: Vel si eius, ad quem scribimus, animus fuerit vel à nobis, vel ab eo, quem commendamus alienatus, tunc vel captanda est beneuolentia, vel vtendū insinuatione, aliquove artificio prout res ipsa id poscere videbitur.*

*Præ-*

Cic.epist.1. 47. li. 13. ad Atti. li. 16. Ad Capit. Pli. 9. 13. li. 2.2. li. 3 31. lib. 7. Cic. 24.44. lib. 13. Vlt. & penult lib. 10. ad Atti. Cic. 28. 61. 42.55. li. 13. Plin. 8. li. 8.

*Præterea, cum iterum, & sæpius eadem de re commendandus est aliquis, ne forte nimis importunus videare, petes vt id ignoscat addesq; te id non facere, quod parũ confidas illius liberalitati vel amicitiæ.*

*Sed id omne conferes vel in desiderium, quo maximo teneris, rem gratam ac vtilem amico faciendi, vel in rem ipsam, cum tanta res, at etiam existimatio agatur.*

*Porrò si is, cui commendatur, pro amico quidquam fecerit, gratias ages, & quam gratissimo viro beneficium commendasse ipsum declarabis, quamq; tibi id gratum fuerit, ostendes.*

*Addes etiam, non dubium tibi esse, quin & tua causa, & suæ etiam constantiæ gratia in eadem mansurus sit liberalitate. Et ideo rogabis, vt quæ initio ostendit, deinde quæ fecit, ad exitum augeat, & cumulet.*

*Atq; hæc de Commendatitia dixisse sufficiat.*

Respõsio.

## Ad Commendatitiam Responsio.

*Ad Commendatitiam responsurus, videbis. amicus ne sit qui commendatur.*

*An nulla nobis familiaritate coniunctus.*

*An aliquo modo à nobis alienus.*

*Iusta ne sit commendatio, an iniqua.*

Cic. 11. li. 5. Ad Attic. 20. li. 2. 15. lib. 4.

Si amicus *fuerit, & digne, atque vt meretur commendatus gratam nobis fuisse Cõmendationem dicemus, in qua præsertim de homine agatur,*

*agatur, qui multos iam annos cum suis, vel ab ineunte ætate in nostro sit ære. Multumq́ à nobis diligatur, non solum propter veterem amicitiam ac amorem nostrum, nec non obseruantiam in nos atque nostros: sed propter summam etiam eius humanitatem, doctrinam, bonos mores, cæterasq́ virtutes.* 14. li. 14. ad Ant. Manut. 12. 21. lib. 3. in fine. 33. lib. 4. in fine. Cic. 14. lib. 15. Manut. 20. lib. 2.

*Iisdem vteris rationibus, cum aliquis tibi, quem alteri commendes, erit commendatus. Illud etiam addere poterimus, nostram salutem, dignitatem, ac vtilitatem magnæ semper illi curæ fuisse.*

*Quamobrem rescribemus, non posse nos ei, non amicos esse, neque solum amici commendatione, quæ apud nos valeat, valueritq́ semper plurimum, sed nostro etiam iudicio ac voluntate.*

*Ergo summo nos studio, & cura, omnia pro amico vel fecisse, vel facturos dicemus, nihilq́ nobis laboriosum ac molestum videri posse. Sed omnia cum facilia, tum honesta.*

*Quod tamen admonemur, agemus gratias, quod rogamur verò, queremur. Admoneri enim debemus, non rogari, vt faciamus, quod nobis non facere turpissimum est.* Pli. 17. li. 4.

Si nulla tibi cum commendato *erit necessitudo, ita tamen hominem commendatum habebis ( cum amicus sit amici ) vt tuam operam, consilium ac fauorem, nulla vnquam in re desideret.*

Inhonesta commendatio. Inhonesta commendatio *non est inhonestè ac insolenter reijcienda: Semper enim amico aliqua ex parte acquiescendum videtur.*

*Sic igitur respondere poterimus: Iam diu nos desiderasse aliquam nobis dari occasionem nostri in eum animi ostendendi, & ideo dolere scribemus, non posse nos, salua existimatione nostra illius morem gerere voluntati.*

*Beneficium tamen in aliud tempus magis idoneum nos differre dicemus, quæ res & ampliorem illi vtilitatem conciliatura, & nostrã beneuolentiam clarius testatura, nobisq; ipsis maiori gloriæ futura sit. Non minùs enim beneficium dare videtur, qui honestè negat, quod negandum iudicat, quam qui æqua concedit.*

Cic.10. li.5. Quandoque *ea qua decet modestia, mirarè nos dicemus, amicum nostrum, tanta cum doctrina tum virtute præditum tales recipere caussas: Hominem esse crudelem, ingratum, indignum omni commendatione, omnia tamen nos cupere, quæ amicus velit.*

Nam si causa *ad nos solos pertinet, nos vel remittemus, & condonabimus omne nostram iniuriam, animaduersionem & suppliciũ, quo vsuri in illum essemus: Vel rogabimus, obtestabimurq; amicũ ipsum, ne ad crudelia, iniqua, indigna, nos facienda impellat.*

Quod si res ad alios pertinebit, *hoc est, cum alij etiam insigni aliqua affecti erunt iniuria, tum non in nostra esse potestate, nec si esset, fas esse dicemus, quidquam condonare.*

*Verum*

*Verum si illum, qui aliqua commendatione dignus iudicatur, vel sua causa, vel eius ipsius qui commendat: Nec tibi tamen commendatum esse velis, nec alijs commendare, ob acceptam aliquam iniuriam, aliamve ob causam, explicabis rationes si minus iustas atq; honestas, aliqua tamen ex parte probabiles, quibus te ad id recusandum adductum esse scribes, commendationem tamen ipsam aliquo modo excusabis.* Pli. 30. li. 6. in fine.

*Verum optimi cuiusq; viri munus esse tibi persuade, nullo vmquam tempore, nec inhonesta concedere, nec honesta denegare.* Optimi viri munus.

*Amico iniusta petenti gratificandum non esse præclare nos admonet Pericles, qui amico roganti, vt in causa quadam pro re sua peieraret, respondit, oportet me commodare amicis, sed vsque ad aras.* Cōmodandum amicis sed vsq; ad aras.

*Quo admonemur, eatenus amicorum causa à recto paululum declinare, quatenus sine numinis offensione id fieri potest, ne propter hominis vtilitatem, diuinam in nos iracundiam conciliemus.*

## De Epistola Petitoria.

Commendatitiam rectè sequitur Petitoria. *quod commendationi finitima sit Petitio: Alter enim alterius auxilio maximè eget Nam & commendatione petimus, & in Petitione sæpè commendamus, vtraque tamen proprios locos habet.* Cic. 2. li. 3. 12 lib. 5. 16. li. 4. 6. li. 15.

*Petitiones omnes aut honestæ sunt, aut mediæ. Rem enim turpem non decet bonum virũ, nec petere, nec petitam concedere.*

Honestam *vocant Petitionem, Consilium, Amicitiam, Admonitionem, Institutionem.*

Mediam *verò & quasi neutram, pecuniam, fauorem, adiumentum pro nobis, aut amicis.*

*Commendatio nostri, perquam modesta debet esse, qualis Vatinij ad Ciceronem: Nunquam enim dimittere nostrum in rogando pudorem debemus.*

Pli. 33. li. 3. *Idcirco antequam descendatur ad petitionem, sæpè possumus nobis facere beneuolum illũ cui scribimus, enumerando & illius liberalitatem ac humanitatem, qua cum in alios, tum in nos vti solitus sit. (ideo nemini nos magis debere desiderare, quam illi cui alius plurimum debuimus, ostendemus) & nostram in illum obseruantiam, ac fidem.*

Cic. lib. 2. *Præterea, quam necessarium sit nobis quod*
Manu. 7.8. *petitur, quamq; vtile: Et quam illi, à quo pe-*
10. lib. 2. 4. *timus non inutile.*

lib. 3.

In Petitione quæ necessaria. *Sunt aut in omni Petitione (vt Seruius docet in Primum Æneidos) hæc necessaria:*

*Vt res quam petimus præstari possit.*

*Vt eadem iusta sit, ac honesta.*

*Vt Petitio modum habeat.*

*Et vt sequatur Remuneratio.*

*Vt nimirum polliceamur, si ita res ferre videbitur, gratum ac memorem animum nostrum.*

*Quæ*

*Quas omnes partes in omnibus penè Epistolis, quibus aliquid petit Cicero, haud difficile est inuenire diligenter lectitanti.*

*Quoniam verò illustre est Virgilij exemplū Æneidos primo, & huic loco conueniens, ipsum subijciam. Sic igitur Iuno supplex ad Æolum:* 1. li. Aeneidos.

*I.*

*Æole, namque tibi Diuum pater atq; hominum Rex.*
*Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.*

*II.*

*Gens inimica mihi Thyrrhenum nauigat æquor.*
*Ilium in Italiam portans, victosq; penates.*

*III.*

*Incute vim ventis, submersasq; obrue puppes,*
*Aut age diuersas, & disyce corpora ponto.*

*IIII.*

*Sunt mihi bis septem præstāti corpore nymphæ,*
*Quarum, quæ forma pulcerrima, Deiopeiam*
*Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo.*

Ad Petitoriam Responsio. Respōsio

*Ad Petitoriam Epistolam aptè responsurus, hæc accuratè considerabis.*

Illud primum. *Quæ petuntur à nobis, amico vel concedenda sunt, vel neganda.*

Quæ concedimus, *si Difficilia fuerint, Primum, amici Petitionem exponemus.*

*Deinde rei difficultatẽ, vel ab ipſius rei natura, vel à noſtra facultate demonſtrabimus.*

*Tum difficultates omnes ſuperatas à nobis eius cauſa oſtendemus.*

*Dicemusq́; id vel amicitiæ noſtræ, vel eius virtuti, vel nobilitati, vel neceſſitati tribuiſſe, nosq́; illi omnia debere.*

Si facilia conceduntur.

Si, quæ concedimus, facilia *fuerint, gaudere nos aſſeremus, oblatam nobis eſſe facultatem ei gratificandi, ſed noſtram in eum voluntatem aliqua magna in re oſtendere vehementer cupere.*

*Tum de noſtro in eum animo, de ſua contrà in nos beneuolentia, de virtutibus, inprimisque de modeſtia, qua in petendo ſit vſus, aliquid dicemus.*

*Deinde rem ipſam, vt minimam facillimãque concedemus, rogantes vt noſtra opera frequentius, & maioribus in rebus vti velit, nosq́; idem facturos. cum opus fuerit, oſtendemus, eaque omnia ſcribemus, quæ animi noſtri bonitatem, liberalitatemq́; declarent, vt libentiſſimè quidquid fecimus, feciſſe videamur.*

Ci. 7. li. 12. Pli. 8. lib. 1. 14. lib. 1. 15. lib 13. Manut. 10. li. 4. 4. li. 1. 13. li. 2. 33. li. 3. 12. li. 4.

*Illud enim vel maximè conuenit, vt, quãdo petita concedimus, vtamur quadam verborum comitate. Verbi gratia: Te id ipſum, quod petit, iam deſtinaſſe, tibiq́; ſponte currenti calcaria addita fuiſſe, nihilq́; eſſe, quod ab amico tibi mandari, aut maius, aut gratius potuerit.*

*Nihil quod honeſtius à te ſuſcipi poſſit, quã vt id agas.*

*Iniuriam*

*Iniuriam tibi fieri putare cum rogaris, maiora illum cui das, esse promeritum.*

*Dolere te quod tam effusè, tam ambitiosè, sis ab amico rogatus.*

*Plura te facturum fuisse dices, si per facultatem tuam, vel per illius voluntatem tibi licuisset. Atq; hactenus cum petita concedimus.*

Si verò petita denegabimus. *Primo eius petitionem exponemus.* Quando petita denegantur.

*Deinde rei difficultatem, tum ab ipsius rei natura, tum à nostra imbecillitate, à loci, temporis facultatum, instrumentorū penuria proferemus.*

*Rem quoque, si poterimus, ei vel inutilem, vel incommodam, vel indignam eius persona, ostendemus.*

*Rogabimus deinde, vt æquo animo ferre velit, atq; ita rem negabimus, vt ille per nos nō stetisse, quo minus efficeretur, existimet, nostramq́; in eum voluntatem, beneuolentiam fidem diligentiamq; , & præteritorum officiorum exemplo testabimur, & in posterum omnibus in rebus cupidissimè pollicebimur: dabimusq́; operam, ne quid ex hac negatione, nostræ amicitiæ detrahatur.*

*Summa, in denegando, prætermissa omni verborum asperitate, ita comiter & apte rationes, cur id facias, reddes, vt non solum tibi amicum illū cōserues, verū etiā amicissimū facias.*

*Quod fiet, si scribas, non tantopere tibi considerandum esse, quid vir optimus in præsentia ve-* Pli. 7. li 28. lib. 6.

*tia velit, quã quid semper sit probaturus: Iudicio tamen illius ac voluntati, quantum rei honestas postulabit, satisfaciendum erit, quod fit etiam interdum cum aliqua conditione.*

Cic. 3. li. 2. 5. lib. 15. *Nonnunquam licet pro amico omnia te libenter & fecisse, & facturũ ostendas: Contraria tamen, adhibitis rationibus, persuadere conaberis,*

Illud etiam aduertant *rudiores, huiusmodi responsiones incipere ferme à Præpositione De, vel Coniunctione Quod, vt*

*De successore: De præda: De rationibus.*
*Quod scribis, Quod dicis, Quod quæris, &c.*

## De Hortatoria & Dehortatoria.

Hortatorium *genus, cum suo contrario Dehortatorio, coniunctum est.*

Suadere & Hortari quid differant. *Quamuis vero Exhortatoria & Dehortatoria Epistola, etiam Suasoria & Dissuasoria possint appellari. Est tamen inter Suasionem & Exhortationẽ aliquid discriminis, vt quæ nec eodem tendent, nec via simili.*

Suadendo *consilium damus, vt velis rem aliquam difficilem & periculosam aggredi. Exhortando impellimus, vt hoc etiam audeas.*

Suasio *argumentis & probationibus docet: Exhortatio vero stimulis excitat & quasi calcaribus impellit, seu animi motibus.*

Suademus *errantibus, aut in capessendis consilijs hæsitantibus.*

*Exhortamur cessantes, aut iam etiam currentes.*

*Et vt breuiter dicam, Suasor dat consiliū, Cohortator impellit, vt quod ille suasit, audeas. Quare si hæc ad viuum excutiantur.*

Exhortatio *Suasoriæ Epistolæ pars erit, nempe Epilogus, qui affectibus constat, non argumentis.*

*Neque enim suadenti sat erit, quid sit optimum factu docuisse, nisi & stimulos subijciat, ne vel difficultate, vel periculo deterriti, vel ignauia retardati, quod optimum esse viderimus, non sequamur.*

*Sed vt in suasionem fere semper incidit Exhortatio, ita in hac non rarò continget uti suasione.*

*Putant quidam Hortatiuam epistolam dici posse, cum Hortatiuum alicubi legatur, quemadmodum & Adiectiuum.* Cic 3. 4. 7. 18. li. 2. Itē 2. 7. 8. 9. 10. 13. li. 4. 6. li. 7. ad Brutum.

*Suasorius nō vno reperitur loco apud Quintilianum.*

*Hæc hactenus præfati persequamur reliqua.*

Hortatoria *igitur Epistola dicitur, qua aliquem hortamur, & incitamus ad rem aliquā præclaram & laude dignam suscipiendum, eaque vt huiusmodi sit, necesse est, vt ea nullam admittat dubitationem aut controuersiam, vt si quis suadeat rebellibus & Remp. perturbantibus, inferendum esse bellum, hortatoria erit Epistola.*

Obseruandum *vero, Hortationem tunc esse plenam, cum qui hortatur sit alicuius auctoritatis* Pli. 3. 23. li. 1. 10. li. 2. 1. 5. 12. lib. 9.

*ritatis: quæ quidem comparatur, vel ætate, vel multarum rerum vsu, & cognitione, vel nobilitate, vel liberalium artium studio.*

*Si vero hæc desit Auctoritas, nec vehemens, nec animosa (vt decet) erit hortatio, nec grauis, & sententiosa, nec affectibus plena.*

Hortaturus aliquem, *dices nihil te tua, nec cuiusquam gratia ad id faciendum impelli, sed eius ipsius ad quem scribis. Ideo pollicearis necesse est, te & amantissimum, & fidelissimum consilium daturum.*

Cic. ad At. lib. 10. in epistol. An. 20. & Cæs. ad Cicer. Cæl. lib. 8. epist. 17. *Ostendes rem hortatione, siue dehortatione dignam.*

*Cum vero suadeantur vtilia, honesta, necessaria, facilia factu, & æqua. Contraria vero dissuadeantur, afferenda sunt commoda & incommoda quibus si non sua, Resp. certè causa, ad id peragendum moueri debeat.*

Plin. 3. li. 2. Manut. 7. lib. 3 Cice. 14. lib. 5. *Vel ipsorum parentum, vel filiorum, vel familiæ, vel amicorum, affiniumq; vel nostræ demum beneuolentiæ & necessitudinis.*

*Vel etiam ne inimici aliena laude, ac vtilitate dolentes, maxima ex nostris incommodis afficiantur lætitia.*

Cic. ad Trebo. 21. li. 15. *Multum etiam ad persuadendum aliquando valet, cum dicis; non dubitare te, quin hæc tua consilia plurimū habitura sint auctoritatis: Et sine his etiam amicus re ipsa responsurus esset tuæ de illo expectationi.*

*Rationibus & exemplis res est corroboranda, cum qui hortantur, soleant proponere imitan-*

*tandos claros viros. Vnde ad Dolabellam Cicero ( Epist. 19. lib. 14. ad Atticum ) Proponã tibi claros viros, quod facere solent qui hortantur? neminem habeo clariorem te ipso, te ipsum imiteris oportet, &c.*

*Consueuit aliquando in hoc genere Cicero vti aliqua præmunitione seu præfatione, vt ad Marcellum epist. 7. lib. 4. Et si eo te adhuc consilio vsum intelligo, vt id reprehendere non audeam ( non quin ab eo ipse dissentiam, sed quod ea te sapientia esse iudicem, vt meũm consilium non anteponam tuo ) tamen & amicitiæ nostræ vetustas, & tua summa erga me beneuolentia ( quæ mihi iam à pueritia tua, cognita est ) me hortata est: vt ea scriberem ad te, quæ & saluti tuæ conducere arbitrarer, & non alienа esse ducerem à dignitate.* Cicero.

*Ad eundem Cicero epistolam proximam sic exorditur, neq; monere te audeo, præstanti prudentia virum. Et tamen aliquanto post scribit: Illud tamẽ vel tu me monuisse, vel consuluisse puta, vel propter beneuolentiam tacere non potuisse.*

*Est vbi excusationem post ponat, vt Epistola 3. lib. 10. ad Plancum, Hæc amore magis impulsus scribenda ad te putaui, quam quod arbitrarer te monitis & præceptis meis egere.*

*Quin etiam Epistola 4. lib. 2. ad Curionẽ, ita claudit, In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tuá sponte satis incitatũ esse considerem: Et quidquid attigi, non feci inflãmandi tui causa, sed testificandi amoris mei.*

Cicer, 7. ad Marcel. l. 4. 4. lib. 2. ad Curionē. Plin. 24. li. 4. 14. lib. 9. Illud postremò est obseruatu dignum, *Hortationem Dehortationemq́, eo modestiores esse debere, quo maior est, nobilior, & doctior, quem hortamur, aut dehortamur.*

*Nam considerandum hic est, Quis scribat, Cui scribat, & Qua de re, cùm varijs ingenijs, ut corporibus, varia adhibenda sit medicina.*

Manut. 9. l. 1. 14. 21. l. 2. *Quandoque ijsdem alij, vel præceptis, vel exemplis monendi sunt, quibus ipsi nos monemus.*

## Ad Hortatoriam & Dehortatoriam. Responsio.

Respōsio.

Ci. 4. li. 10. 21. lib. 16. *Ad Hortatoriam rescribes, gratam tibi fuisse hortationem, qua vsus fuit amicus. Plurimum apud de valuisse illius auctoritatem,* Pli. 19. li. 7. *consilia, admonitiones: vt pote quæ ab amico, à fideli, à prudenti animo proficiscantur.*

Ci. 4. li. 10. *Omnia te facturum esse, quæ hortatus fuit, etiamsi aut aliter sentires, aut dubitares: siquidem amici Admonitio nos (si secus sentimus) reprimere, Hortatio (si dubitamus) impellere potest vt id sequamur, quod ille optimum putat. Præterea ages etiam gratias, semper id te in memoria habiturum commemorans.*

Cic. 13. li. 2. Pli. 16. li. 2. 8. lib. 5. *Cum te quis hortatus, dehortatusve fuerit, de rebus, quas tua sponte facturus esses, respōdere poteris (si ea ad quæ adhortatus te fuit, in animo est facere) confirmari tua consilia, cum sentis prudentibus, fideliterq́, suadentibus idem videri.*

*Si statuisti non facere, à quibus ille dehortabatur, te mirari dices, cur id dicat, aut talia de te suspicetur, cùm non desint rationes, cur id de te, nec dicere, nec suspicari deberet. Omnia tamen in bonam te accipere partem scribes.* Cic.16.li. 2. P. Manut. 25.lib.2. Plin.19.l.2.

*Si quid vehementer addubites, in ea re ad quam hortatur, te tamen facturum dices, quia ipse hortatur, tuæ tamen dubitationis rationes commemorabis.*

*Petes igitur ab amico, vt examinet secum, omnesq; quos mouisti in vtraq; parte calculos, ponat: vt id eligat, in quo vicerit ratio, ab amico enim ratio exigetur, te excusabit obsequium.* Pli.10. li. 9.

*Cum verò amici præceptis parere cupimus, & aliqua impedimur causa, quo minus ea exequi possimus, tunc idoneis vtendum erit excusationibus.*

## De Laudatoria.

Laudatoria Epistola *dicitur, qua nos & nostra, aut alios & aliena commendamus.* Cic.14. lib. 9. 10. li. 10.

*Materiam laudis petimus à triplicibus bonis, Externis, Corporis, aut animi.* 10. & vlt. li 2.3. li. 12.

*Cum nosmetipsos, vel nostra laudamus, adeo modesti esse debemus & verecundi, vt nunquam ad eam laudem, nisi coacti, apte tamen & congruenter veniamus, vt omnem hoc modo vitemus arrogantiam.* 26. li. 13. 2. lib. 25. Cic.7. li. 3. 2. & vlt. li. 5. Manut. 9. lib. 1.

*Laus vero ex aliorum lingua, illustris, vera & solida habetur. Ex ore vero nostro semper sordescit.*

*Sita-*

In omni ſiquidem Commendatione *tria diligenter conſiderare nos oportet.*

Perſona e-ius qui cōmendatur.

1. Perſonam commendandam, *Aliter enim nos, aliter liberos, aliter familiares & amicos, aliter hoſpites & incognitos commendamus.*

*Rurſus in perſona commendādā habenda eſt ratio doctrinæ, virtutis, dignitatis, profeſſionis, nobilitatis, fortunæ, &c. eius qui commēdatur.*

*Vt non eodem modo doctum & indoctum, ſacrum & profanum, magiſtratum gerentem ac priuatum, diuitem atq; inopem, liberum ac ſeruum, nobilem atq; ignobilē commendamus, de horum enim vnoquoque conuenienter, & accommodatè loquendum eſt.*

Perſona e-ius cui quis commendatur.

2. Cui aliquem commendemus, *eſt aduertendum Nec enim eodem modo cōmendandus eſt quis Principi atq; amico, nec magiſtratui ac priuato. Cum amicis ſiquidem liberius, & ſine magna cauſa agere licet: Principibus verò nec omnes, nec omnia, nec ſine magna neceſſitate commendare fas eſt. Quin etiam omnia apud illos grauiter & ſeuere agenda ſunt.*

Res ipſa.

3. Rerum quoque habenda eſt ratio, *vt non niſi iuſta, honeſta, aut neceſſaria ſuſcipiatur commēdatio: deinde vt hæc ipſius cui quid commendatur ſit dignitati, facultati naturæq; accommodata.*

*Cum enim in omni commendatione ſit rei alicuius petitio, debet hæc ipſa tribus commendari, Honeſtate, facultate, & remuneratione, vt infra dicetur in Epiſtola Petitoria.*

Ad

*Ad honestatem spectat, vt nihil petatur, nisi honestum ac iustum.*

*Ad facultatem, vt ea petantur, quæ ab amico præstari queant.*

*Ad Remunerationem, vt nos memores & gratos polliceamur.*

His iam bene consideratis, talis erit commendatio-

*1. Causas scribemus, quæ nos ad cõmendandũ impulerunt: Cuiusmodi sunt, vel amica cum eo, quem commendamus consuetudo: vel acceptum ab eo beneficium, vel ipsius Doctrina, Virtus, Nobilitas, Dignitas, &c.*

*2. Rem ipsam iam exponemus, quam pro amico postulamus. Hanc autem petitionem, vt iam dictum est, oportet esse æquam honestam, necessariam, ipsiq; ad quem scribimus factu facilem.*

*3. Postremo iam loco pollicebimur commendatum, & nos futuros gratos, studiumq; nostrũ & operam mutuam cum offeret occasio, deferentes, Licet id non semper a Cicerone sit obseruatum.*

In Principio Commendaritiæ captanda est interdum beneuolentia.

*Si enim Commendatio vulgaris fuerit, aut parum honesta: Vel si eius, ad quem scribimus, animus fuerit vel à nobis, vel ab eo, quem commendamus alienatus, tunc vel captanda est beneuolentia, vel vtendũ insinuatione, aliquove artificio prout res ipsa id poscere videbitur.*

*Præ-*

Cic.epist.1. 47. li. 13.ad Atti. li. 16. Ad Capit. Pli. 9. 13. li. 2. 2. li. 3 31. lib. 7. Cic. 24. 44. lib. 13. Vlt. & penult lib. 10. ad Atti. Cic. 28. 61. 42. 55. li. 13. Plin. 8. li. 8.

*Præterea, cum iterum, & sæpius eadem de re commendandus est aliquis, ne forte nimus importunus videare, petes vt id ignoscat addesq́, te id non facere quod parũ confidas illius liberalitati vel amicitiæ.*

*Sed id omne conferes vel in desiderium. quo maximo teneris, rem gratam ac vtilem amico faciendi, vel in rem ipsam, cum tanta res, at etiam existimatio agatur.*

*Porrò si is, cui commendatur, pro amico quidquam fecerit, gratias ages, & quam gratissimo viro beneficium commendasse ipsum declarabis, quamq́, tibi id gratum fuerit, ostendes.*

*Addes etiam, non dubium tibi esse, quin & tua causa, & suæ etiam constantiæ gratia in eadem mansurus sit liberalitate. Et ideo rogabis, vt quæ initio ostendit, deinde quæ fecit, ad exitum augeat, & cumulet.*

*Atq; hæc de Commendatitia dixisse sufficiat.*

Respõsio.

## Ad Commendatitiam Responsio.

*Ad Commendatitiam responsurus, videbis, amicus ne sit qui commendatur.*

*An nulla nobis familiaritate coniunctus.*

*An aliquo modo à nobis alienus.*

*Iusta ne sit commendatio, an iniqua.*

Cic. 11. li. 5. Ad Attic. 20. li. 2. 15. lib. 4.

Si amicus *fuerit, & digne. atque vt mereatur commendatus gratam nobis fuisse Cõmendationem dicemus, in qua præsertim de homine agatur,*

*ligatur, qui multos iam annos cum suis, vel ab ineunte ætate in nostro sit ære. Multumq́ à nobis diligatur, non solum propter veterem amicitiam ac amorem nostrum, nec non obseruantiam in nos atque nostros: sed propter summam etiam eius humanitatem, doctrinam, bonos mores, cæterasq́ virtutes.*

14. li. 14. ad Ant. Manut. 12. 21. lib. 3. in fine. 33. lib. 4. in fine. Cic. 14. lib. 15. Manut. 20. lib. 2.

*Iisdem vteris rationibus, cum aliquis tibi, quem alteri commendes, erit commendatus. Illud etiam addere poterimus, nostram salutem, dignitatem, ac vtilitatem magnæ semper illi curæ fuisse.*

*Quamobrem rescribemus, non posse nos ei, non amicos esse, neque solum amici commendatione, quæ apud nos valeat, valueritq́ semper plurimum, sed nostro etiam indicio ac voluntate.*

*Ergo summo nos studio, & cura, omnia pro amico vel fecisse, vel facturos dicemus, nihilq́ nobis laboriosum ac molestum videri posse. Sed omnia cum facilia, tum honesta.*

*Quod tamen admonemur, agemus gratias, quod rogamur verò, queremur. Admoneri enim debemus, non rogari, vt faciamus, quod nobis non facere turpissimum est.* Pli. 17. li. 4.

Si nulla tibi cum commendato *erit necessitudo, ita tamen hominem commendatum habebis (cum amicus sit amici) vt tuam operam, consilium ac fauorem, nulla vnquam in re desideret.*

Inhonesta commendatio. Inhonesta commendatio *non est inhoneste ac insolenter reijcienda: Semper enim amico aliqua ex parte acquiescendum videtur.*

*Sic igitur respondere poterimus: Iam diu nos desiderasse aliquam nobis dari occasionem nostri in eum animi ostendendi, & ideo dolere scribemus, non posse nos, salua existimatione nostra illius morem gerere voluntati.*

*Beneficium tamen in aliud tempus magis idoneum nos differre dicemus, quæ res & ampliorem illi vtilitatem conciliatura, & nostrā beneuolentiam clarius testatura, nobisq́; ipsis maiori gloriæ futura sit. Non minus enim beneficium dare videtur, qui honeste negat, quod negandum iudicat, quam qui æqua concedit.*

Cic.10. li.5. Quandoque *ea qua decet modestia, mirari nos dicemus, amicum nostrum, tanta cum doctrina tum virtute præditum tales recipere causas: Hominem esse crudelem, ingratum, indignum omni commendatione, omnia tamen nos cupere, quæ amicus velit.*

Nam si causa *ad nos solos pertinet, nos vel remittemus, & condonabimus omne nostram iniuriam, animaduersionem & suppliciū, quo vsuri in illum essemus: Vel rogabimus, obtestabimurq́; amicū ipsum, ne ad crudelia, iniqua, indigna, nos facienda impellat.*

Quod si res ad alios pertinebit, *hoc est, cum alij etiam insigni aliqua affecti erunt iniuria, tum non in nostra esse potestate, nec si esset, fas esse dicemus, quidquam condonare.*

*Verum*

*Verum si illum, qui aliqua commendatione dignus iudicatur, vel sua causa, vel eius ipsius qui commendat: Nec tibi tamen commendatum esse velis, nec alijs commendare, ob acceptam aliquam iniuriam, aliamve ob causam, explicabis rationes si minus iustas atq; honestas, aliqua tamen ex parte probabiles, quibus te ad id recusandum adductum esse scribes, commendationem tamen ipsam aliquo modo excusabis.* Pli. 30. li. 6. in fine.

*Verum optimi cuiusq; viri munus esse tibi persuade, nullo vmquam tempore, nec inhonesta concedere, nec honesta denegare.* Optimi viri munus.

*Amico iniusta petenti gratificandum non esse præclarè nos admonet Pericles, qui amico roganti, vt in causa quadam pro re sua peieraret, respondit, oportet me commodare amicis, sed vsque ad aras.* Cõmodandum amicis sed vsq; ad aras.

*Quo admonemur, eatenus amicorum causa à recto paulùlum declinare, quatenus sine numinis offensione id fieri potest, ne propter hominis vtilitatem, diuinam in nos iracundiam conciliemus.*

## De Epistola Petitoria.

Commendatitiam rectè sequitur Petitoria. *quod commendationi finitima sit Petitio: Alter enim alterius auxilio maximè eget Nam & commendatione petimus, & in Petitione sæpè commendamus, vtraque tamen proprios locos habet.* Cic. 2. li. 3. 12. lib. 5. 16. li. 4. 6. li. 15.

*Petitiones omnes aut honestæ sunt, aut mediæ. Rem enim turpem non decet bonum virũ, nec petere, nec petitam concedere.*

Honestam *vocant Petitionem, Consilium, Amicitiam, Admonitionem, Institutionem.*

Mediam *verò & quasi neutram, pecuniam, fauorem, adiumentum pro nobis, aut amicis.*

*Commendatio nostri, perquam modesta debet esse, qualis Vatinij ad Ciceronem: Nunquam enim dimittere nostrum in rogando pudorem debemus.*

Pli. 33. li. 3. *Idcirco antequam descendatur ad petitionem, sæpè possumus nobis facere beneuolum illũ cui scribimus, enumerando & illius liberalitatem ac humanitatem, qua cum in alios, tum in nos vti solitus sit, (ideo nemini nos magis debere desiderare, quam illi, cui alius plurimum debuimus, ostendemus) & nostram in illum obseruantiam, ac fidem.*

Cic. lib. 2. Manu. 7. 8. 10. lib. 2. 4. lib. 3. *Præterea, quam necessarium sit nobis quod petitur, quamq; vtile: Et quam illi, à quo petimus non inutile.*

In Petitione quæ necessaria. *Sunt aut in omni Petitione (vt Seruius docet in Primum Æneidos) hæc necessaria:*

*Vt res quam petimus præstari possit.*

*Vt eadem iusta sit, ac honesta.*

*Vt Petitio modum habeat.*

*Et vt sequatur Remuneratio.*

*Vt nimirum polliceamur, si ita res ferre videbitur, gratum ac memorem animum nostrum.*

*Quas*

*Quas omnes partes in omnibus penè Epistolis, quibus aliquid petit Cicero, haud difficile est inuenire diligenter lectitanti.*

*Quoniam verò illustre est Virgilij exemplũ Æneidos primo, & huic loco conueniens, ipsum subijciam. Sic igitur Iuno supplex ad Æolum:* 1. li. Aeneidos.

*I.*

*Æole, namque tibi Diuum pater atq; hominum Rex.*
*Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.*

*II.*

*Gens inimica mihi Thyrrhenum nauigat æquor.*
*Ilium in Italiam portans, victosq; penates.*

*III.*

*Incute vim ventis, submersasq; obrue puppes,*
*Aut age diuersas, & disijce corpora ponto.*

*IIII.*

*Sunt mihi bis septem præstãti corpore nymphæ,*
*Quarum, quæ forma pulcerrima, Deiopeiam*
*Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo.*

Ad Petitoriam Responsio. Respõsio

*Ad Petitoriam Epistolam aptè responsurus, hæc accuratè considerabis.*

Illud primum. *Quæ petuntur à nobis, amico vel concedenda sunt, vel neganda.*

Quæ concedimus, *si Difficilia fuerint, Primum, amici Petitionem exponemus.*

*Iniuriam tibi fieri putare cum rogaris, maiora illum cui das, esse promeritum.*

*Dolere te quod tam effuse, tam ambitiosè, sis ab amico rogatus.*

*Plura te facturum fuisse dices, si per facultatem tuam, vel per illius voluntatem tibi licuisset. Atq; hactenus cum petita concedimus.*

Si verò petita denegabimus. *Primo eius petitionem exponemus.* Quando petita denegantur.

*Deinde rei difficultatem, tum ab ipsius rei natura, tum à nostra imbecillitate, à loci, temporis, facultatum, instrumentorũ penuria proferemus.*

*Rem quoque, si poterimus, ei vel inutilem, vel incommodam, vel indignam eius persona, ostendemus.*

*Rogabimus deinde, vt æquo animo ferre velit, atq; ita rem negabimus, vt ille per nos nõ stetisse, quo minus efficeretur, existimet, nostramq́; in eum voluntatem, beneuolentiam, fidem, diligentiamq;, & præteritorum officiorum exemplo testabimur, & in posterum omnibus in rebus cupidissimè pollicebimur: dabimusq́; operam, ne quid ex hac negatione, nostræ amicitiæ detrahatur.*

*Summa, in denegando, prætermissa omni verborum asperitate, ita comiter & apte rationes, cur id facias, reddes, vt non solum tibi amicum illũ cõserues, verũ etiã amicissimũ facias.*

*Quod fiet, si scribas, non tantopere tibi considerandum esse, quid vir optimus in præsentia ve-* Pli. 7. li 28. lib. 6.

*tia velit, quã quid semper sit probaturus: Iudicio tamen illius ac voluntati, quantum rei honestas postulabit, satisfaciendum erit, quod fit etiam interdum cum aliqua conditione.*

Cic 3. li. 2. 5. lib. 15. *Nonnunquam licet pro amico omnia te libenter & fecisse, & facturũ ostendas: Contraria tamen, adhibitis rationibus, persuadere conaberis,*

Illud etiam aduertant *rudiores, huiusmodi responsiones incipere ferme à Præpositione De, vel Coniunctione Quod, vt*

*De successore: De præda: De rationibus.*
*Quod scribis, Quod dicis, Quod quæris, &c.*

## De Hortatoria & Dehortatoria.

Hortatorium *genus, cum suo contrario Dehortatorio, coniunctum est.*

Suadere & Hortari quid differant. *Quamuis vero Exhortatoria & Dehortatoria Epistola, etiam Suasoria & Dissuasoria possint appellari. Est tamen inter Suasionem & Exhortationẽ aliquid discriminis, vt quæ nec eodem tendent, nec via simili.*

Suadendo *consilium damus, vt velis rem aliquam difficilem & periculosam aggredi. Exhortando impellimus, vt hoc etiam audeas.*

Suasio *argumentis & probationibus docet: Exhortatio vero stimulis excitat & quasi calcaribus impellit, seu animi motibus.*

Suademus *errantibus, aut in capessendis consiliis hæsitantibus.*

*Exhortamur cessantes, aut iam etiam currentes.*

*Et vt breuiter dicam, Suasor dat consiliũ, Cohortator impellit, vt quod ille suasit, audeas.*

*Quare si hæc ad viuum excutiantur.*

Exhortatio *Suasoriæ Epistolæ pars erit, nempe Epilogus, qui affectibus constat, non argumentis.*

*Neque enim suadenti sat erit, quid sit optimum factu docuisse, nisi & stimulos subijciat, ne vel difficultate, vel periculo deterriti, vel ignauia retardati, quod optimum esse viderimus, non sequamur.*

*Sed vt in suasionem fere semper incidit Exhortatio, ita in hac non raro continget vti suasione.*

*Putant quidam Hortatiuam epistolam dici posse, cum Hortatiuum alicubi legatur, quemadmodum & Adiectiuum.* Cic 3. 4. 7.

*Suasorius nõ vno reperitur loco apud Quintilianum.* 18. li. 2. Itẽ 2. 7. 8. 9. 10. 13. li. 4. 6. li. 7. ad Brutum.

*Hæc hactenus præfati persequamur reliqua.*

Hortatoria *igitur Epistola dicitur, qua aliquem hortamur, & incitamus ad rem aliquã præclaram & laude dignam suscipiendum, eaque vt huiusmodi sit, necesse est, vt ea nullam admittat dubitationem aut controuersiam, vt si quis suadeat rebellibus & Remp. perturbantibus, inferendum esse bellum, hortatoria erit Epistola.*

Obseruandum *vero, Hortationem tunc esse plenam, cum qui hortatur sit alicuius aucto-* Pli. 3. 23. li. 1. 10. li. 2. 1. 5. 12. lib. 9.

 *ritatis*

*ritatis: quæ quidem comparatur, vel ætate, vel multarum rerum vsu, & cognitione, vel nobilitate, vel liberalium artium studio.*

*Si vero hæc desit Auctoritas, nec vehemens, nec animosa (vt decet) erit hortatio, nec grauis, & sententiosa, nec affectibus plena.*

Hortaturus aliquem, *dices nihil te tua, nec cuiusquam gratia ad id faciendum impelli, sed eius ipsius ad quem scribis. Ideo pollicearis necesse est, te & amantissimum, & fidelissimum consi ium daturum.*

Cic. ad At. lib. 10. in epistol. An. 20. & Cæs. ad Cicer. Cæl. lib. 8. epist. 17.

*Ostendes rem hortatione, siue dehortatione dignam.*

*Cum vero suadeantur vtilia, honesta, necessaria, facilia factu, & aequa. Contraria vero dissuadeantur, afferenda sunt commoda & incommoda quibus si non sua, Reip. certè causa, ad id per agendum moueri debeat.*

Plin. 3. li. 2. Manut. 7. lib. 3 Cice. 14. lib. 5.

*Vel ipsorum parentum, vel filiorum, vel familiæ, vel amicorum, affiniumq́, vel nostræ demum beneuolentiæ & necessitudinis.*

*Vel etiam ne inimici aliena laude, ac vtilitate dolentes, maxima ex nostris incommodis afficiantur lætitia.*

Cic. ad Trebo. 21. li. 15.

*Multum etiam ad persuadendum aliquando valet, cum dicis; non dubitare te, quin hæc tua consilia plurimū habitura sint auctoritatis: Et sine his etiam amicus re ipsa responsurus esset tuæ de illo expectationi.*

*Rationibus & exemplis res est corroboranda, cum qui hortantur, soleant proponere imitan-*

*tandos claros viros. Vnde ad Dolabellam Cicero (Epist. 19. lib. 14. ad Atticum) Proponā tibi claros viros, quod facere solent qui hortantur? neminem habeo clariorem te ipso, te ipsum imiteris oportet, &c.*

*Consueuit aliquando in hoc genere Cicero vti aliqua præmunitione seu præfatione, vt ad Marcellum epist. 7. lib. 4. Et si eo te adhuc consilio vsum intelligo, vt id reprehendere non audeam (non quin ab eo ipse dissentiam, sed quod ea te sapientia esse iudicem, vt meūm consilium non anteponam tuo) tamen & amicitiæ nostræ vetustas, & tua summa erga me beneuolentia (quæ mihi iam à pueritia tua, cognita est) me hortata est: vt ea scriberem ad te, quæ & saluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem à dignitate.* Cicero.

*Ad eundem Cicero epistolam proximam sic exorditur, neq; monere te audeo, præstanti prudentia virum. Et tamen aliquanto post scribit: Illud tamē vel tu me monuisse, vel consuluisse puta, vel propter beneuolentiam tacere non potuisse.*

*Est vbi excusationem postponat, vt Epistola 3. lib. 10. ad Plancum, Hæc amore magis impulsus scribenda ad te putaui, quam quod arbitrarer te monitis & præceptis meis egere.*

*Quin etiam Epistola 4. lib. 2. ad Curionē, ita claudit, In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatū esse considerem: Et quidquid attigi, non feci inflāmandi tui caussa, sed testificandi amoris mei.*

Cicer, 7. ad Marcel. l. 4. 4. lib. 2. ad Curionē. Plin. 24. li. 4. 14. lib. 9.

Illud postremò est obseruatu dignum, *Hortationem Dehortationemq́; eo modestiores esse debere, quo maior est, nobilior, & doctior, quem hortamur, aut dehortamur.*

*Nam considerandum hic est, Quis scribat, Cui scribat, & Qua de re, cùm varijs ingenijs. ut corporibus, varia adhibenda sit medicina.*

Manut. 9. l. 1. 14. 21. l. 2.

*Quandoque ijsdem alij, vel præceptis, vel exemplis monendi sunt, quibus ipsi nos monemus.*

Respōsio.

Ad Hortatoriam & Dehortatoriam. Responsio.

Ci. 4. li. 10. 21. lib. 16.

*Ad Hortatoriam rescribes, gratam tibi fuisse hortationem, qua vsus fuit amicus. Plurimum apud de valuisse illius auctoritatem,*

Pli. 19. li. 7.

*consilia, admonitiones: ut pote quæ ab amico, à fideli, à prudenti animo proficiscantur.*

Ci. 4. li. 10,

*Omnia te facturum esse, quæ hortatus fuit, etiamsi aut aliter sentires, aut dubitares: siquidem amici Admonitio nos (si secus sentimus) reprimere, Hortatio (si dubitamus) impellere potest vt id sequamur, quod ille optimum putat. Præterea ages etiam gratias, semper id te in memoria habiturum commemorans.*

Cic. 13. li. 2. Pli. 16. li. 2. 8. lib. 5.

*Cum te quis hortatus, dehortatusve fuerit, de rebus, quas tua sponte facturus esses, respōdere poteris (si ea ad quæ adhortatus te fuit, in animo est facere) confirmari tua consilia, cum sentis prudentibus, fideliterq́; suadentibus idem videri.*

Si

*Si statuisti non facere, à quibus ille dehortabatur, te mirari dices, cur id dicat, aut talia de te suspicetur, cùm non desint rationes, cur id de te, nec dicere, nec suspicari deberet. Omnia tamen in bonam te accipere partem scribes.* Cic.16.li. 2. P. Manut. 25.lib.2. Plin.19.l.2.

*Si quid vehementer addubites, in ea re ad quam hortatur, te tamen facturum dices, quia ipse hortatur, tuæ tamen dubitationis rationes commemorabis.*

*Petes igitur ab amicò, vt examinet secum, omnesq; quos mouisti in vtraq; parte calculos, ponat: vt id eligat, in quo vicerit ratio, ab amico enim ratio exigetur, te excusabit obsequium.* Pli.10. li. 9.

*Cum verò amici præceptis parere cupimus, & aliqua impedimur causa, quo minus ea exequi possimus, tunc idoneis vtendum erit excusationibus.*

## De Laudatoria.

Laudatoria Epistola *dicitur, qua nos & nostra, aut alios & aliena commendamus.* Cic.14. lib. 9. 10. li. 10. 10. & vlt. li 2.3. li. 12. 26. li. 13. 2. lib. 25.

*Materiam laudis petimus à triplicibus bonis, Externis, Corporis, aut animi.*

*Cum nosmetipsos, vel nostra laudamus, adeo modesti esse debemus & verecundi, vt nunquam ad eam laudem, nisi coacti, aptè tamen & congruenter veniamus, vt omnem hoc modo vitemus arrogantiam.* Cic.7. li. 3. 2. & vlt. li. 5. Manut. 9. lib. 1.

*Laus vero ex aliorum lingua, illustris, vera & solida habetur. Ex ore vero nostro semper sordescit.*

*Sita-*

*Si tamen ad illos scribimus, quibuscum magna familiaritas nobis intercedit, liberius cum illis tanquam nobiscum loqui licet.*

Pli.11.lib.3. 3.17.lib.4. 34.li.6.22. li.7.9. li.6. Manut. 12. li.2.32.42. li.4. Cicer. 12.lib.5.7. lib.12.

*Cum eos vero ad quos scribimus, vel alios, alienave laudamus à doctrina, iustitia, temperantia, fortitudine, acceptis beneficijs, rebus bene gestis, alijsq; virtutibus.*

Quid in Personarũ laude cauendum.

*Item à rerum magnificentia, copia, varietate, pulcritudine, cæterisq; rebus summopere cauendum tum est, ne laudatio vel in adulationis vitium, vel suspicionem aliquam incidat, huiusmodi siquidem laudatio cum ijs quibus scribimus, tum alijs insuauis admodum esse solet, estq; homine libero & ingenuo prorsus indigna.*

Quæ in personis laudanda.

*Consultum igitur fuerit, ea tantum laudare, quæ illis tamquam stimulus ad virtutem esse possint.*

Pli.3.10.16. li.1.3.17. lib.2.

*Solemus etiam nonnunquam alios, aut alia laudare, non tantum, quod omnibus ea laudibus digna iudicamus, sed vt illum, cui scribimus, ad aliquid faciendum cohortemur.*

*Cum forte eos laudabimus, qui ex hac vita demigrarunt, ita scribemus, vt magis eos, ad quos scribimus consolari, quam demortuos velle commendare videamur: atq; hæc paucis de laudibus potissimum Personarum.*

De laude rerum. Lippus Brandolinus.

*De laudandis vero rebus, quas etiam integris nonnunquam Epistolis celebrari certò constat. paucis hic præcipi nihil potest, consulat qui volet Lippum Brandolinũ. libro de ratione scribendi Secundo, capite decimo, qui hisce de rebus*

*bus, vt de cæteris, accuratè scripsit.*

*Illud hic vnum tacitus præterire nolim, consueuisse à Christianis multa laudari, quæ cæca antiquitas, vt non satis cognouit, ita non multùm prædicauit.*

*Cuiusmodi sunt, Mansuetudo & Clementia erga inimicos,*

*Immo amor & caritas in eos, qui nos oderunt, vel persequuntur.*

*Liberalitas in egenos, quam misericordiam dicimus.*

*Dolor ex aliorum rebus aduersis, quam vulgus Compassionem vocat.*

*Patientia dolorum, & iniuriarum.*

*Humilitas, & animi submissio.*

*Vtriusq; sexus castitas.*

*Item Fides, Spes, Caritas, &c.*

Ad Laudatoriam Responsio.

Ad Laudationem, *qua ab aliquo affecti sumus, modicè ac moderatè respondendum est, nostras & nostrarum rerum extenuando laudes.* Respõsio. Cic.15.li.2. 6.lib.16.

*Tamen, cum de nostris laudibus, neq; prorsus assentiendum sit, ne nos ipsi quæ in re minime debemus, nimium amare videamur. Neq; valde repugnandum, ne quod in nobis est honorificum, stulte reyciamus, gaudebimus nos & nostros, seu nostra laudari, & eo magis, quo vel meliores, vel doctiores, vel grauiores sunt, qui aliqua nos laude prosequuntur. Probata enim virtus, à magnis præsertim viris, omnibus fortunis est anteponenda.* Manut.4c. li. 4.12.l.2. 41.lib.3.31. lib.4.]

*Pote-*

Cic. 12. l. 6. Manut. 30. li 3 & ões Politiani & ad Politianum.

*Poterimus igitur non sine gratia dicere lætari nos à laudato laudari viro, quemadmodum Hector ille apud Nævium, Lætus sum, inquit, laudari me abs te pater, laudato viro. Dicemus igitur, nos, dum nostras legimus laudes, agnoscere quodammodo, non sine maxima animi nostri voluptate: cùm, qui propriam ingenij & virtutum gloriam assequitur, is sciat quam optimè alienas describere.*

*Modestè verò recusandi laudes, præsertim ingenij & doctrinæ, multa exempla inuenire licet apud Paulum Manutium, qui cùm sæpissimè à clarissimis et eruditissimis viris laudatus sit, incredibile dictu est, quantam copiam, & varietatem verborum lectissimorum, sententiarumq; in illis responsionibus suis adhibuerit, cùm idem semper argumentum tractaret.*

*Nos igitur ad euitandam arrogantiam, referemus huiusmodi laudes, vel in benignitatẽ dicentis, qui iisdem laudibus, & maioribus ornatus sit, vel in beneuolentiam in nos, qui nominem volumus, nimis esse in nostra laude liberalem.*

Manut. 31. li. 3. 34. l. 4. 14. li. 2. 32. 40 li 4. 4. lib. 4.

*Illum tamen fructum te ex ea laudatione consecutũ dicere poteris, quod, cùm virtus laudata crescat, vimq; cohortandi habere videatur, magis ad virtutes, aliasq; res laude dignas, inflammatus fuisti.*

*Itaque te enixurum multo etiam dices quã antea diligentius, vt accedas proximè, si vlla ratione poteris, quo ille te peruenisse existimat, vt ali-*

*vt aliquando veritati iure, quod fortasse nunc humanitati magna ex parte, largitur.*

*Sed si laudes essent tam veræ, tamq́; claræ vt in conspectu fere omnium essent sitæ, negariq́; minimè possent, mentionem illorum faciemus (si qui fuerunt) honorificam, quorum opera, studio, auctoritate id factum à nobis fuit.* Pli. 13. li. 8: 31. li. 9.

*Verum à sola Dei Opt. Max. bonitate profectas dicere, & pio, & Christiano homine dignum esset.*

*Idem seruare poteris, cùm quis diceret, ab alijs te laudari: & illud addere velis, te cum tua lætari causa, quod ea merces detur tibi laborum & vigiliarum tuarum, tum quod ea in ciuitate tua tribuantur, quæ fortibus & industrijs viris digna sunt.* Ci. 10. li. 3.

*Interdum pudoris est ingenui, nihil penitus ad laudationem respondere, præsertim si præteriri silentio possit, saluo honore nostro. Id quod tum maximè fieri solet, cum & alia sunt, de quibus scribi oporteat.*

*Cùm vero laudantur alij eosdem & nos laudabimus, confirmantes, quod ab amico laudatū fuit, & addentes, si quid addi poterit: Vitia autem tacebimus, nisi aliqua per iocum potius, quam serio vituperare voluerimus.* Pli. 10. li. 9. Cic. 6. li. 3.

De Accusatoria, *seu Expostulatoria.* 9. 14. lib. 7.

Accusatio *seu Expostulatio fit, cum aliquē accusamus, aut cùm de aliquo alicuiusve vitio expostulamus.* Pli 11. 13. li. 1. 2. 6. lib. 2. 22. li. 8. 26. lib. 6.

*Accusamus illum, qui, quod promiserat, non præstitit. Item accusamus aliquem breuitatis Epistolæ, tarditatis, negligentiæ, intermissionis litterarum, modestè tamen & ingeniosè.*

*Querimur non rectè esse quid ab aliquo factum, potissimùm erga nos, aut res nobis caras, & relictos nos esse ab aliquo.*

Cic.9.li.7. 26.li.10.16. 17. ad Bru. Manut. 22. li.2. 23. 24. lib. 4. *Cùm alium accusant docti, de alióue cōquerentur causas addere solent, lenissimis vtentes verbis, cur mirentur, cur querantur, cur illud rectè factū non sit, illud solum agentes, vt illud in posterum nolit fieri, magisq; sollicit videantur esse de futuro, quam dolere de præterito.*

*Ideo aut petunt, aut hortantur, aut rogant, ne pòsthac ea non faciat solum, verum etiam aliqua virtute compenset.*

*Interdum nos etiam ipsi excusamus amicū, cur aliquid prætermiserit omiseritve, vel non credentes illum fuisse in causa, vel errorem vitiúmve aliquo modo extenuantes.*

Ci.6.lib.3. 16.lib.4. *Debet præterea qui alios reprehendit, omni vacare culpa, ne illud fortasse occinatur Horatianum, Cùm tua peruideas oculis malè lippus inunctis, Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum, &c.*

*Idcirco Cicero cum alicuius se suspectum esse rei arbitratur, diligenter se expurgat, factumq; suum cum facto illius, quem accusare paratus est, si opus est, comparat.*

*Aliquando simpliciter querimur de ali-*

quo

*quo, adhibitis tantum causis nostræ querelæ.*

Ad Accusatoriam *seu Expostulatoriam.*

*Responsio.* Respõsio.

Ad Expostulatoriam *Accusatoriamq́, ea pertinere omnia videntur quæ suprà in Excusando necessaria esse diximus.* Ci.19.li.15. ad Atti.16.

*Illud hoc loco considerandum est, iusta ne accusatio sit seu expostulatio, an iniqua: Si iniqua, vel non fecisse dixisseve dicemus: Vel rectè nos fecisse, aut dixisse honestis quidem rationibus, & modestis comprobabimus. Deinde grauem nobis non fuisse illam accusationem monstrabimus, sed gratã potius, cum ab amico animo, à prudenti, à fideli venerit.* lib. 11. Manut. 18. lib. 1. Ci.28.li. 11. Plin.17.28. li. 7. 19. 9. Manut. 22. lib.2.

*Si, qui scribit, iustam nos accusandi causam habebit, extenuabimus rem ipsam, aut non consultò eam nos fecisse dicentes, aut aliorum peccatis coactos.*

*Quandoq, non crimen sed culpam à nobis amouemus, in aliumq, hominem, vel in quampiam rem conferimus.* Cic.2.li.10.

*Sæpe comparata causa dicimus necesse fuisse alterũ facere, & id quod fecerim⁹ satius fuisse, è duobus enim malis, cum fugiendum maius sit, minus est eligendum.*

*Verùm si meritò reprehendimur, nulloq́, modo crimen à nobis nec remouere, nec reijcere in aliũ hominẽ aliámve rem possumus, confitẽdum est liberè, & ingenuè delictũ amico (modò id tibi apud alios nulli vel vitio vel fraudi*

*esse possit) vbi non solum parata solet esse venia, sed summa etiam laus.*

*Multa alia de hoc Epistolarum genere huc possent adferri. Cæterum cum non omnia hic inculcanda sint, immo nec admodum religiosè in scribendis Epistolis obseruanda, reliqua duximus omittenda, remittentes eos qui plùra desiderant, ad Brandolinum qui de Accusandi genere cap. 19. & 20. Excusandi verò & Defendendi cap. 21. libri Secundi, eruditè admodum disputauit.*

## De Exprobratoria.

Expostulatio & Exprobratio differunt.

*Cum amicis expostulamus: Cum inimicis verò & ingratis exprobramus, Quapropter in illo genere mitiores, in hoc aliquanto seueriores sumus.*

*Et quoniam ab humanitate videmur recedere, ita loquamur, vt appareat, nos id facere coactos quod fecimus, & ab ingrato homine beneficiorumq́; immemore impulsos.*

*Porrò exprobratio, qua in illos solemus vti, à quibus pro officijs nulla nobis relata est gratia, sub Expostulationis genere contineri videtur. Quæ licet turpis illa quidem (vt fatentur omnes) & vix tolerabilis sit, quia meminisse debet qui accepit beneficium, obliuisci qui dedit, vt ipsa etiam nos docet Gratiarum pictura, de qua Mythologiæ scriptores consulendi. Interdum tamen ingrati animi vitium impellit nos ad exprobrandum.*

*Itaq;*

*Itaq; sic moderanda est, vt non te collati beneficij pœnituisse dicas, ac illius vitio tuam immutaturus sis sententiam: sed vt ostendas, maleficium pro beneficio non esse reponendum, & virum bonum semper cum memorem beneficij, tum gratum esse oportere.* Ci. 2. 5. li. 5.

*Commemorat interdum Cicero officia omnia, quæ amico præstitit, non quo aliquid, aut queratur, aut exprobret, sed quo ex hac beneficiorum commemoratione, ad ipsam descendat Hortationem, siue cõsolationem, faciliusq; quæ velit persuadeat, aut alia præstet beneficia.* Ci. 17. li. 5.

*Huic formæ Epistolarum abrupta conueniunt initia.*

Ad Exprobratoriam Responsio. Respõsio.

*Ad Exprobrationem eodem modo est respondendum (si iustam habet Exprobrandi causam) quo ad Accusatoriam: ea tamen modestia & tranquillitate animi, vt paupertatẽ tuam excusans, viriumque imbecillitatem, & fortunam ipsam, aliquidve simile, nec immemor beneficij, nec ingratus vir habearis.*

*Pollicebris tamen, te si vllo vnquam tempore data fuerit occasio, re ipsa præstaturum, vt homini non ingrato se beneficium tribuisse cognoscat.*

*Si nulla esset causa (solent enim quandoq; homines, vel à natura ipsa, vel aliqua alia ratione adducti, iusta & debita etiam officia commemorare, aut præter rem exprobrare) tum*

poteris

*poteris & aptè & cõmodè dicere, relatam tibi potius esse gratiam, quàm beneficium præstitũ. Aut parem te vicem, aut aliqua ex parte pro viribus tuis reddidisse, indiesq; maiorem, si per tuas fortunas licebit, redditurum.*

*Quamobrem concludes, nihil fuisse: cur talia diceret, cum illa commemoratio, quasi exprobratio fuerit immemoris beneficij, à quo vitio tam te alienum esse scribes, quam, qui plurimum.*

De Inuectiua.

Pli. 4. li. 2. Cic. 7. li. 3. 13. li. 8. 10. li. 11. ad At. 10. li. 7. 4. li. 8. 6. 8. li. 14. ad Octauium. Man. 2 12. lib. 2.

*Ab Exprobratorijs fere non separantur Inuectiuæ, quãdo scilicet in aliquem inuehimur, & atrocissimis verbis alicuius scelera, vt ingrati, vt crudelis, vt infidi, vt tyranni, insectamur. Quæ probandæ sunt, quatenus ad insectationem vitij, aliosq; ab eo vitæ genere deterrendos paratæ sunt: Nam vt inuadendum est in vitia, ita homini, quantum fieri poterit parcendum, optimi quique existimant.*

*Cæterum cum fere omnes propensi simus ad obiurgandum & admouendum: ipsi verò obiurgari & admoneri vix sustineamus, non est necesse nos hic multa præscribere.*

*Cùm verò & Accusando & Excusando vehementibus esse liceat, in hoc genere Epistolarum multo vehementioribus, capit enim omniũ ex iracundia profectã orationis acrimoniam, omnesq; dentes.*

Christianis modestius inuehẽdũ.

*Christiano tamen homini, sicut moderatè irascendum, ita quoq; moderatè in alios inuehendum*

*hendum est, vt amarities obiurgationis quadã lenitate & mansuetudine temperetur.*

Ad Inuectiuam Responsio.

*Illud principio hic admonendum, Homo Christianus cùm sæpè grauiterq́; Deum offendat & eius tamen admonitionem non sentiat, par esse, vt exemplo Conditoris sui non statim de vindicta cogitet, sed vincat in bono malum, vt Apostolus docet.*

*Quod si igitur Inuectiuæ Epistolæ respondendum fuerit ne quid perturbato animo dicatur aut fiat, vt sine ira irasci videamur.*

*Optimi tamen doctissimiq́; viri existimant, Inuectiuis litteris aut nihil esse respondendum, aut certè tum demum, vbi iam ira, animique commotio sedata fuerit, imitandumq́; Philosophum illum, qui aliquando iratus seruo: malè te multarem inquit, nisi iratus essem: Sic, inquam, & nos ad Inuectiuam subitò, respondere possemus, nisi irati essemus.* Epist. 1. ad Q. fi. Ci. 7. 8. lib. 3. 2. li. 5.

*In hac igitur responsione omnia epistolæ accusatoris capita ponenda sunt: Deinde paratè & moderatè omnia ordine refutanda rationibus subiectis, aut attenuanda suspicio.*

*Vitam nostrã ex anteactis spectandam esse scribemus nullam nobis causam, vtilitatem, aut commodum fuisse id faciendi, dicendive: Immo incommodum, damnum, dedecus.*

*Quandoq; non omnibus accusatoris capitibus in principio repetitis, sed ordine tantum,*

*quod primum dixit refutabimus. In vnaquaque causa repetendo (quod solet Cicero) accusatoris verba.*

*Amicitiam nos, quoad ipse volet, conseruaturos indicabimus: nam semper debet esse inuectiuæ modesta responsio, non arrogans, non*
Cic.28.l.7. 3.lib.11. *superba, procul ab omni ira, licet quandoq; & Cicero, & alij grauissimè læsi, & non tantum sua, quantum vel Reip. vel aliorum, aliarumve rerum causa irati, acerbissimè rescripserint.*

De Excusatoria, *vel Apologetica.*

Ci.7.l.1.15. Excusatio *qua nos vel alios, de tarditate,*
17.li.2.3.7. *raritate, longitudine vel breuitate litterarum,*
li.6.1.lib.8. *vel alijs deniq; rebus excusamus, habere debet*
18.31 35.lib. *simplicem, breuem, & dilucidam expositionem,*
10.21.24 li. *cum attenuatione suspicionis.*
6.ad Att.6. *In hoc genere, si poterimus, crimen à nobis*
32.li.2.2.li. *remouebimus: Sin minus, afferenda est facti*
3.2.li.4.ad *ratio, culpaq; reijcienda in fortunam, impru-*
Brut.17.15. *dentiam, vel necessitatem, excusando pauper-*
ad Q F.1. *tatem orationis, ignorantiam, angustias tempo-*
lib 1. *ris, occupationes, morbos, pericula, & huiusmo-*
Pli.8 li.14. *di res, quibus ad aliquid, aut pro amicis, aut pro*
34.li,5.4. *nobis etiam ipsis, faciendum, vel non faciendũ*
li.6.20.lib. *adducti fuimus.*
7.12.lib.8. Manut.17. *Ingenui tamen hominis est, pro loco & tem-*
10.li.14.18. *pore, rem non modo fateri, sed petere etiam vt*
li.2.27.l.4 *sibi ignoscatur, & polliceri se negligentiam illã,*
Cic.14.li.6 *iacturam temporis, non præstita beneficia &*
1.3.li.14 ad *reliqua id genus, assidua diligentia, multo labo-*
At.1.lib.1. *re, cura, studio, & amore, vel cum fœnore com-*
Pli.3.lib.9. *pensaturum.* Per-

*Perquam festiua tamen & venusta habetur excusatio, cùm eodem crimine amicū condemnandum esse dicimus, quo nos vel condemnat, vel condemnare posset.* Cic. 1. li. 3. vlt. 6.

*Huc pertinet (quod huius generis videtur esse proprium) cūm vel non accusati excusamus nos, rationesq; in medium afferimus, cur aut aliquid fecerimus dixerimusve, aut amicum hortati ad aliquid fuerimus.* Cic. 5. li. 2. in fin. 7. 8. lib. 4.

*Vt puta, cum semel atq; iterum, vel sæpius aliquem eidem commendas, viderisq; illius liberalitati, cui scribis diffidere: tum enim causas, quamobrem id facias, explicabis.* Ad At. vlt. & pen. 16.

Ad Excusatoriam *seu Purgat. Responsio.* Cic. 4. li. 4.

Ad Excusationem *responsio adeo modesta erit, vt rem non aliter me accepisse dicam, quàm ipse vel fecerit, vel dixerit.* 15. li. 9. 4. li. 10. ad Att. 7. lib. 11. Pli. 13. li. 7.

*Ideo si quis se excusat, cur vel sæpè eodem exemplo, vel rarius scribat, & huiusmodi accipiā axcusationem, qua vsus est ex ea parte, quæ ad scribentis honorem spectat.* Manut. 24. lib. 2.

*Nam cum nostra amicitia nullas recipere debeat suspiciones, nec amicus peccare prætermittendo officio potest, nec nos animum illius aliter atq; est, interpretari.* Suspicio venenū inimicitiæ.

*Quo circa tollendæ penitus sunt ex mutua nostra beneuolentia omnes suspiciones.*

*Verum cum modestiæ causa diceret, vel pauperem se esse orationis, vel indoctum, vel aliquid simile, id nunquam concedere, nostræ etiā est modestia, vel potius humanitatis.* Paupertate orationis se laborare scripserat Sulpicius

ad Cicero. epi. 4. li. 4. Ci. 25. 25. *Dicam aliquando iustam & idoneam esse excusationem, id tamen ne sæpius faciat, rogabo, rationesq; subyciam: Et demum assiduitate potius litterarum, aut aliqua alia re explendum esse officium quam excusatione, ostendam.*

*Quod si excusatio minus probabilis videretur, inueniendæ sunt rationes, quibus modestè ostendamus, non esse accipiendam: admonebimusq;, vt maiorem, in posterum, aut vtilitatis, aut honoris sui, aut commodi aliorum rationem habeat.*

*Hæc tamen omnia ita scribenda sunt, vt ad virtutes potius bonosq; mores illa inflammetur, quam ad vllam prouocetur iram: & eò considerandaest hominis natura, & illi quandoq; sic indulgendum (etiamsi minus idonea videatur causa) vt nocere tibi minimè possit.*

De Deprecatoria. *seu pænitente.*

*Hæc forma immeritò prætermissa est à quibusdam, cum eius vsus, nō minus quàm cæterarum frequens videatur.*

*Ergo in hac Epistola peccatum seu culpam nostrum aliorúmve, quorū nomine scribimus, planè apertéq; confiteri solemus, hoc primum.*

*Tum orare, vt nobis, vel illis venia tribuatur, quam vt facilius impetremus, rem siue crimen extenuabimus his modis & rationibus.*

*Quod per imprudentiam, quod per ætatis imbecillitatem, quod nunc primum, antehac nunquam in illud vitium inciderimus.*

*Addemus, nos, seu illum pro quo scribimus, in magno*

*in magno mœrore versari, præpudore domo pedem non efferre, timere omnia, & non mediocrem ob admissam culpam dolorem præ se ferre, vt misericordia dignus videri possit.*

*Ad hæc eius, quem placare voluerimus, lenitatem clementiamq; laudabimus, & ex antecedente probitate hominis, qui peccauit, spem bonam illi faciemus, vt ipsum supplicãtem venia impertiuisse non pœniteat. Idoneum huius generis exemplum inuenias apud Plinium epistola. 21. lib. 9. ad Sabinianum.*

Ad Deprecatoriam Responsio. Respõsio.

*Laudare initio poterimus confessionem culpæ, & ea nos maximè impelli dicemus ad ignoscendum, siquidẽ ignoscere pulcrum iam misero, pœnæq; vidisse peccantẽ, vt ait Claudianus.*

*Cupere nos quantum in nobis est, nemini prorsus irasci, neminem punire, sed aliorum delictis à mansuetudine nostra ad iustissimam irã aliquando traduci, immo potius trahi.*

*Nihilominus semper apud nos plus valuisse illam ad ignoscendum, quam istam ad puniendum, nec nos tam aliorum iniurijs lædi, quàm summissione placari.*

*Pollicebimur, si ita se in posterum gesserit, vt promiserit, nos illum multo cariorem habituros.*

*Deniq; alia huiusmodi non insuauia paulũ cogitanti, & Epistolam Deprecatoriam inspicienti in mentem venient.*

## De Iocosa.

Ci.vlt.li.1. Omnes fere lib.7. ad Trebat. & multæ li.9. Pli.6.lib.1. 12.lib.7. Man.17.li.1.27.li 3 fere in fine, 52.lib.4. Cice.12.23. lib.7. Plin.15.21. lib.1. Cic.1.offic.

*Reliquum est iocosum Epistolarum genus, quo nimirum tunc vtimur, cum de rebus loquimur iocosis: sed ad iocos acre est adhibendum iudicium: nec enim cum omnibus iocandum est, sed inspicienda est persona, & pro personæ qualitate iocandum est, vel non iocandum, cum sint qui iocum nec dicere soleant, nec ferre possint.*

Est autem duplex *Iocandi genus, vnum illiberale, petulans flagitiosum, obscœnum, aut scurrilitati proximũ, quod vt homine indignũ Christiano prorsus reijciendum est.*

*Alterum elegans, vrbanum, ingeniosum, facetum: ac proinde amplectendum.*

*Iocosè aliquem carpere, & de eo conqueri, quandam affert gratiam: Nam iocando possum aliorum dicta, sententias, & facta confutare.*

*Sed cum Iocus naturæ sit munus, in eoq́ʒ, ob acumen & leporem, quibus rebus ioci commendantur, & admiratio, & delectatio inesse soleat, illud maximè cauendum est, ne dum nos ridicula dicere volumus, in ridiculo ipsi simus.*

Ciceronis Ioci.

*Iocosis & facetis epistolis ita delectatus est Cicero, vt vix vllam iocandi occasionem prætermittere potuerit, sed tamen in ijsdem hac vtitur cautione, vt non velit nisi tempestiue iocari.*

*Sed*

*Sed quid ago, inquit, cum mihi sit in certũ, tranquillo ne sis animo, an, vt in bello, in aliqua maiuſcula cura, negotiove verſere. Cum igitur erit mihi exploratum, te libenter riſurum ſcribam ad te pluribus.*

*Item epiſt. 4. lib. Iocer ne tecum, inquit, per litteras? Ciuem me hercule non puto eſſe, qui temporibus his ridere poſſit.*

*Aliquando etiam in rebus ſeueriſſimis vtitur iocis. Aliquando ex ipſo loquendi genere occaſionem arripit. Sed diligens Epiſtolarum ipſius lectio, præſertim ad Atticum, hæc & plura docebit.*

*Solet autem iocationes ſuas ita claudere.* Iocationis claudendi ratio.

*Sed iam ſatis iocati ſumus.*

*Sed hæc iocati ſumus, & tuo more, & nonnihil etiam noſtro.*

*Sed de ioco ſatis eſt.*

*Plerunq; etiam à iocis ad ſeria ſibi tranſitũ parat hoc modo.*

*Extra iocum, vel, remoto ioco.*

*Aliquando iocis ſuis aliquid præfatur.*

*Sic tu (libet enim mihi iocari) quod diſertum non erit, ne putaris meum.*

*Alicubi admonet ea quæ dicit, non eſſe iocantis verba. Atq; hæc nolo me iocari putes.*

## Ad Iocoſam Reſponſio.

Reſpõſio.

*Ad epiſtolam Iocoſam, iocose quoque, modo ne quis offendatur, reſpondebitur.*

*Ad graues viros, & maiores, habita omni ratione*

*Si tamen ad illos scribimus, quibuscum magna familiaritas nobis intercedit, liberius cum illis tanquam nobiscum loqui licet.*

Pli. 11. lib. 3. 3. 17. lib. 4. 34. li. 6. 22. li. 7. 9. li. 6. Manut. 12. li. 2. 32. 42. li. 4. Cicer. 12. lib. 5. 7. lib. 12.

*Cum eos vero ad quos scribimus, vel alios, alienave laudamus à doctrina, iustitia, temperantia, fortitudine, acceptis beneficijs, rebus bene gestis, alijsq́ virtutibus.*

Quid in Personarũ laude cauendum.

*Item à rerum magnificentia, copia, varietate, pulcritudine, cæterisq́ rebus summopere cauendum tum est, ne laudatio vel in adulationis vitium, vel suspicionem aliquam incidat, huiusmodi siquidem laudatio cum ijs quibus scribimus, tum alijs insuauis admodum esse solet, estq́ homine libero & ingenuo prorsus indigna.*

Quæ in personis laudanda.

*Consultum igitur fuerit, ea tantum laudare, quæ illis tamquam stimulus ad virtutem esse possint.*

Pli. 3. 10. 16. li. 1. 3. 17. lib. 2.

*Solemus etiam nonnunquam alios, aut alia laudare, non tantum, quod omnibus ea laudibus digna iudicamus, sed vt illum, cui scribimus, ad aliquid faciendum cohortemur.*

*Cum forte eos laudabimus, qui ex hac vita demigrarunt, ita scribemus, vt magis eos, ad quos scribimus consolari, quam demortuos velle commendare videamur: atq́ hæc paucis de laudibus potissimum Personarum.*

De laude rerum.

Lippus Brandolinus.

*De laudandis vero rebus, quas etiam integris nonnunquam Epistolis celebrari certò constat, paucis hic præcipi nihil potest, consulat qui volet Lippum Brandolinũ libro de ratione scribendi Secundo, capite decimo, qui hisce de rebus*

*bus, vt de cæteris, accuratè scripsit.*

*Illud hic vnum tacitus præterire nolim, consueuisse à Christianis mun a laudari, quæ cæca antiquitas, vt non satis cognouit, ita non multū prædicauit.*

*Cuiusmodi sunt, Mansuetudo & Clementia erga inimicos.*

*Immo amor & caritas in eos, qui nos oderunt, vel persequuntur.*

*Liberalitas in egenos, quam misericordiam dicimus.*

*Dolor ex aliorum rebus aduersis, quam vulgus Compassionem vocat.*

*Patientia dolorum, & iniuriarum.*

*Humilitas, & animi submissio.*

*Vtriusq; sexus castitas.*

*Item Fides, Spes, Caritas, &c.*

Ad Laudatoriam Responsio.

Respōsio.

Ad Laudationem, *qua ab aliquo affecti sumus, modicè ac moderatè respondendum est, nostras & nostrarum rerum extenuando laudes.*

Cic. 15. li. 2. 6. lib. 16. Manut. 4c. li. 4. 12. l. 2. 41. lib. 3. 31. lib. 4.]

*Tamen, cum de nostris laudibus, neq; prorsus assentiendum sit, ne nos ipsi qua in re minime debemus, nimium amare videamur. Neq; valde repugnandum, ne quod in nobis est honorificum, stulte reijciamus, gaudebimus nos & nostros, seu nostra laudari, & eo magis, quo vel meliores, vel doctiores, vel grauiores sunt, qui aliqua nos laude prosequuntur. Probata enim virtus, à magnis præsertim viris, omnibus fortunis est anteponenda.* Pote-

Cic.12.1.6. Manut. 30. li 3 & ões Politiani & ad Politianum.

*Poterimus igitur non sine gratia dicere lætari nos à laudato laudari viro, quemadmodum Hector ille apud Nænium, Lætus sum, inquit, laudari me abs te pater, laudato viro. Dicemus igitur, nos, dum nostras legimus laudes, agnoscere quodammodo, non sine maxima animi nostri voluptate: cùm, qui propriam ingenij & virtutum gloriam assequitur, is sciat quam optimè alienas describere.*

*Modestè verò recusandi laudes, præsertim ingenij & doctrinæ, multa exempla inuenire licet apud Paulum Manutium, qui cùm sæpissimè à clarissimis et eruditissimis viris laudatus sit, incredibile dictu est, quantam copiam, & varietatem verborum lectissimorum, sententiarumq; in illis responsionibus suis adhibuerit, cùm idem semper argumentum tractaret.*

*Nos igitur ad euitandam arrogantiam, referemus huiusmodi laudes, vel in benignitatē dicentis, qui ijsdem laudibus, & maioribus ornatus sit, vel in beneuolentiam in nos, qui nominem volumus, nimis esse in nostra laude liberalem.*

Manut. 31. li.3.34.l.4. 14.li.2.32. 40 li 4.4. lib. 4.

*Illum tamen fructum te ex ea laudatione consecutū dicere poteris, quod, cùm virtus laudata crescat, vimq; cohortandi habere videatur, magis ad virtutes, aliasq; res laude dignas, inflammatus fuisti.*

*Itaque te enixurum multo etiam dices quā antea diligentius, vt accedas proximè, si vlla ratione poteris, quo ille te perueniſſe existimat, vt ali-*

*vt aliquando veritati iure, quod fortaſſe nunc humanitati magna ex parte, largitur.*

*Sed ſi laudes eſſent tam veræ, tamq́ clare vt in conſpectu fere omnium eſſent ſitæ, negariq́ minimè poſſent, mentionem illorum faciemus (ſi qui fuerunt) honorificam, quorum opera, ſtudio, auctoritate id factum à nobis fuit.* Pli. 13. li. 8. 31. li. 9.

*Verum à ſola Dei Opt. Max. bonitate profectas dicere, & pio, & Chriſtiano homine dignum eſſet.*

*Idem ſeruare poteris, cùm quis diceret, ab alijs te laudari: & illud addere velis, te cum tua lætari cauſa, quod ea merces detur tibi laborum & vigiliarum tuarum, tum quod ea in ciuitate tua tribuantur, quæ fortibus & induſtrijs viris digna ſunt.* Ci. 10. li. 3.

*Interdum pudoris eſt ingenui, nihil penitus ad laudationem reſpondere. præſertim ſi præteriri ſilentio poſſit, ſaluo honore noſtro. Id quod tum maximè fieri ſolet, cum & alia ſunt, de quibus ſcribi oporteat.*

*Cùm vero laudantur alij eoſdem & nos laudabimus, confirmantes, quod ab amico laudatū fuit, & addentes, ſi quid addi poterit: Vitia autem tacebimus, niſi aliqua per iocum potius, quam ſertò vituperare voluerimus.* Pli. 10. li. 9. Cic. 6. li. 3.

De Accuſatoria, *ſeu Expoſtulatoria.* 9. 14. lib. 7.

Accuſatio *ſeu Expoſtulatio ſit, cum aliquē accuſamus, aut cùm de aliquo alicuiuſve vitio expoſtulamus.* Pli. 11. 13. li. 1. 2. 6. lib. 2. 22. li. 8. 26. lib. 6.

*quo, adhibitis tantum causis nostræ querelæ.*

Ad Accusatoriam *seu Expostulatoriam.*

*Responsio.* Respõsio.

Ad Expostulatoriam *Accusatoriamq́, ea pertinere omnia videntur quæ suprà in Excusando necessaria esse diximus.* Ci.19.li.15. ad Atti.16.

*Illud hoc loco considerandum est, iusta ne accusatio sit seu expostulatio, an iniqua: Si iniqua, vel non fecisse dixisseve dicemus: Vel rectè nos fecisse, aut dixisse honestis quidem rationibus, & modestis comprobabimus. Deinde grauem nobis non fuisse illam accusationem monstrabimus, sed gratā potius, cum ab amico animo, à prudenti, à fideli venerit.* lib. 11. Manut. 18. lib. 1. Ci.28.li.11. Plin.17.28. li. 7. 19. 9. Manut. 22. lib.2.

*Si, qui scribit, iustam nos accusandi causam habebit, extenuabimus rem ipsam, aut non consultò eam nos fecisse dicentes, aut aliorum peccatis coactos.*

*Quandoq, non crimen, sed culpam à nobis amouemus, in aliumq, hominem, vel in quampiam rem conferimus.* Cic.2.li.10.

*Sæpe comparata causa dicimus necesse fuisse alterū facere, & id quod fecerim⁹ satius fuisse, è duobus enim malis, cum fugiendum maius sit, minus est eligendum.*

*Verùm si meritò reprehendimur, nulloq́, modo crimen à nobis nec remouere, nec reijcere in aliū hominē aliámve rem possumus, confitēdum est liberè, & ingenuè delictū amico (modò id tibi apud alios nulli vel vitio vel fraudi*

*esse possit) vbi non solum parata solet esse venia, sed summa etiam laus.*

*Multa alia de hoc Epistolarum genere huc possent adferri. Caeterum cum non omnia hic inculcanda sint, immo nec admodum religiosè in scribendis Epistolis obseruanda, reliqua duximus omittenda, remittentes eos qui plura desiderant, ad Brandolinum qui de Accusandi genere cap. 19. & 20. Excusandi verò & Defendendi cap. 21. libri Secundi, eruditè admodum disputauit.*

## De Exprobratoria.

Expostulatio & Exprobratio differunt.

*Cum amicis expostulamus: Cum inimicis verò & ingratis exprobramus, Quapropter in illo genere mitiores, in hoc aliquanto seueriores sumus.*

*Et quoniam ab humanitate videmur recedere, ita loquamur, vt appareat, nos id facere coactos quod fecimus, & ab ingrato homine beneficiorumque immemore impulsos.*

*Porrò exprobratio, qua in illos solemus vti, à quibus pro officijs nulla nobis relata est gratia, sub Expostulationis genere contineri videtur. Quae licet turpis illa quidem (vt fatentur omnes) & vix tolerabilis sit, quia meminisse debet qui accepit beneficium, obliuisci qui dedit, vt ipsa etiam nos docet Gratiarum pictura, de qua Mythologiae scriptores consulendi. Interdum tamen ingrati animi vitium impellit nos ad exprobrandum.*

*Itaque*

*Itaq; sic moderanda est, vt non te collati beneficij pœnituisse dicas, ac illius vitio tuam immutaturus sis sententiam: sed vt ostendas, maleficium pro beneficio non esse reponendum, & virum bonum semper cum memorem beneficij, tum gratum esse oportere.* Ci.2.5.li.5.

*Commemorat interdum Cicero officia omnia, quæ amico præstitit, non quo aliquid, aut queratur, aut exprobret, sed quo ex hac beneficiorum commemoratione, ad ipsam descendat Hortationem, siue cōsolationem, faciliusq; quæ velit persuadeat, aut alia præstet beneficia.* Ci.17. li.5.

*Huic formæ Epistolarum abrupta conueniunt initia.*

Ad Exprobratoriam Responsio. Respōsio.

*Ad Exprobrationem eodem modo est respondendum (si iustam habet Exprobrandi causam) quo ad Accusatoriam: ea tamen modestia & tranquillitate animi, vt paupertatē tuam excusans, viriumque imbecillitatem, & fortunam ipsam, aliquidve simile, nec immemor beneficij, nec ingratus vir habearis.*

*Pollicebris tamen, te si vllo vnquam tempore data fuerit occasio, re ipsa præstaturum, vt homini non ingrato se beneficium tribuisse cognoscat.*

*Si nulla esset causa (solent enim quandoq; homines, vel à natura ipsa, vel aliqua alia ratione adducti, iusta & debita etiam officia commemorare, aut præter rem exprobrare) tum*

poteris

*poteris & aptè & cōmodè dicere, relatam tibi potius esse gratiam, quàm beneficium præstitū. Aut parem te vicem, aut aliqua ex parte pro viribus tuis reddidisse, indiesq́ maiorem, si per tuas fortunas licebit, redditurum.*

*Quamobrem concludes, nihil fuisse: cur talia diceret, cum illa commemoratio, quasi exprobratio fuerit immemoris beneficij, à quo vitio tam te alienum esse scribes, quam, qui plurimum.*

De Inuectiua.

Pli. 4. li. 2. Cic. 7. li. 3. 13. li. 8. 10. li. 11. ad At. 10. li. 7. 4. li. 8. 6. 8. li. 14. ad Octauium. Man. 2 12. lib. 2.

*Ab Exprobratorijs fere non separantur Inuectiuæ, quādo scilicet in aliquem inuehimur, & atrocissimis verbis alicuius scelera, vt ingrati, vt crudelis, vt infidi, vt tyranni, insectamur. Quæ probandæ sunt, quatenus ad insectationem vitij, aliosq́ ab eo vitæ genere deterrendos paratæ sunt: Nam vt inuadendum est in vitia, ita homini, quantum fieri poterit parcendum, optimi quique existimant.*

*Cæterum cùm fere omnes propensi simus ad obiurgandum & admouendum: ipsi verò obiurgari & admoneri vix sustineamus, non est necesse nos hic multa præscribere.*

*Cùm verò & Accusando & Excusando vehementibus esse liceat, in hoc genere Epistolarum multo vehementioribus, capit enim omniū ex iracundia profectā orationis acrimoniam, omnesq́ dentes.*

Christianis modestius inuehēdū.

*Christiano tamen homini, sicut moderatè irascendum, ita quoq́ moderatè in alios inuehendum*

*bendum est, vt amarities obiurgationis quadã lenitate & mansuetudine temperetur.*

Ad Inuectiuam Responsio.

*Illud principio hic admonendum, Homo Christianus cùm sæpè grauiterq́; Deum offendat, & eius tamen admonitionem non sentiat, par esse, vt exemplo Conditoris sui non statim de vindicta cogitet, sed vincat in bono malum, vt Apostolus docet.*

*Quodsi igitur Inuectiuæ Epistolæ respondendum fuerit ne quid perturbato animo dicatur aut fiat, vt sine ira irasci videamur.*

*Optimi tamen doctissimiq́; viri existimant, Inuectiuis litteris aut nihil esse respondendum, aut certè tum demum, vbi iam ira, animique commotio sedata fuerit, imitandumq́; Philosophum illum, qui aliquando iratus seruo: malè te multarem inquit, nisi iratus essem: Sic, inquam, & nos ad Inuectiuam subitò, respondere possemus, nisi irati essemus.* Epist. 1. ad Q. fi. Ci. 7. 8. lib. 3. 2. li. 5.

*In hac igitur responsione omnia epistolæ accusatoris capita ponenda sunt: Deinde paratè & moderatè omnia ordine refutanda rationibus subiectis, aut attenuanda suspicio.*

*Vitam nostrã ex anteactis spectandam esse scribemus, nullam nobis causam, vtilitatem, aut commodum fuisse id faciendi, dicendive: Immo incommodum, damnum, dedecus.*

*Quandoq; non omnibus accusatoris capitibus in principio repetitis, sed ordine tantum,*

*quod primum dixit refutabimus. In vnaquaque causa repetendo (quod solet Cicero) accusatoris verba.*

*Amicitiam nos, quoad ipse volet, conseruaturos indicabimus: nam semper debet esse inuectiuæ modesta responsio, non arrogans, non superba, procul ab omni ira, licet quandoq; & Cicero, & alij grauissimè læsi, & non tantum sua, quantum vel Reip. vel aliorum, aliarumve rerum causa irati, acerbissimè rescripserint.*

Cic.28.l.7. 3.lib.11.

De Excusatoria, *vel Apologetica.*

Excusatio *q̃na nos vel alios, de tarditate, raritate, longitudine vel breuitate litterarum, vel alijs deniq; rebus excusamus, habere debet simplicem, breuem, & dilucidam expositionem, cum attenuatione suspicionis.*

*In hoc genere, si poterimus, crimen à nobis remouebimus: Sin minus, afferenda est facti ratio, culpaq; reijcienda in fortunam, imprudentiam, vel necessitatem, excusando paupertatem orationis, ignorantiam, angustias temporis, occupationes, morbos, pericula, & huiusmodi res, quibus ad aliquid, aut pro amicis, aut pro nobis etiam ipsis, faciendum, vel non faciendũ adducti fuimus.*

*Ingenui tamen hominis est, pro loco & tempore, rem non modo fateri, sed petere etiam vt sibi ignoscatur, & polliceri se negligentiam illã, iacturam temporis, non præstita beneficia & reliqua id genus, assidua diligentia, multo labore, cura, studio, & amore, vel cum fœnore compensaturum.*

Ci.7.l.1.15. 17.li.2.3.7. li.6.1.lib.8. 18.31 35.lib. 10.21.24 li. 6.ad Att. 6. 32.li.2.2.li. 3.2. li. 4.ad Brut. 17. 15. ad Q F. 1. lib 1. Pli.8 li.14. 3 4.li.5.4. li.6.20.lib. 7.12. lib. 8. Manut. 17. 10.li.14.18. li.2.27.l.4 Cic.14.li 6 1.3.li.14 ad Att.1. lib.1. Pli.3. lib.9.

Per-

*Perquam festiua tamen & venusta habetur excusatio, cùm eodem crimine amicũ condemnandum esse dicimus, quo nos vel condemnat, vel condemnare posset.* Cic. 1. li. 3. vlt. 6.

*Huc pertinet (quod huius generis videtur esse proprium) cùm vel non accusati excusamus nos, rationesq́ in medium afferimus, cur aut aliquid fecerimus dixerimusve, aut amicum hortati ad aliquid fuerimus.* Cic. 5. li. 2. in fin. 7. 8. lib. 4.

*Vt puta, cum semel atq́ iterum, vel sæpius aliquem eidem commendas, viderisq́ illius liberalitati, cui scribis diffidere: tum enim causas, quamobrem id facias, explicabis.* Ad At. vlt. & pen. 16.

Ad Excusatoriam *seu Purgat. Responsio.* Cic. 4. li. 4.

Ad Excusationem *responsio adeo modesta erit, vt rem non aliter me accepisse dicam, quàm ipse vel fecerit, vel dixerit.* 15. li. 9. 4. li. 10. ad Att. 7. lib. 11. Pli. 13. li. 7.

*Ideo si quis se excusat, cur vel sæpè eodem exemplo, vel rarius scribat, & huiusmodi accipiã axcusationem, qua vsus est ex ea parte, quæ ad scribentis honorem spectat.* Manut. 24. lib. 2.

*Nam cum nostra amicitia nullas recipere debeat suspiciones, nec amicus peccare prætermittendo officio potest, nec nos animum illius aliter atq́ est, interpretari.* Suspicio venenũ inimicitiæ.

*Quo circa tollendæ penitus sunt ex mutua nostra beneuolentia omnes suspiciones.*

*Verum cum modestiæ causa diceret, vel pauperem se esse orationis, vel indoctum, vel aliquid simile, id nunquam concedere, nostræ etiã est modestia, vel potius humanitatis.* Paupertate orationis se laborare scripserat Sulpicius

ad Cicero. epi. 4. li. 4. Ci. 25. 25. *Dicam aliquando iustam & idoneam esse excusationem, id tamen ne sapius faciat, rogabo, rationesq́ subiiciam: Et demum assiduitate potius litterarum, aut aliqua alia re explendum esse officium quam excusatione, ostendam.*

*Quod si excusatio minus probabilis videretur, inueniendæ sunt rationes, quibus modestè ostendamus, non esse accipiendam: admonebimusq́, vt maiorem, in posterum, aut vtilitatis, aut honoris sui, aut commodi aliorum rationem habeat.*

*Hæc tamen omnia ita scribenda sunt, vt ad virtutes potius bonosq́ mores illa inflammetur, quam ad vllam prouocetur iram: & eò consideranda est hominis natura, & illi quandoq́ sic indulgendum (etiamsi minus idonea videatur causa) vt nocere tibi minimè possit.*

De Deprecatoria. *seu pænitente.*

*Hæc forma immeritò prætermissa est à quibusdam, cum eius vsus, nō minus quàm cæterarum frequens videatur.*

*Ergo in hac Epistola peccatum seu culpam nostrum aliorúmve, quorū nomine scribimus, planè apertéq́ confiteri solemus, hoc primum.*

*Tum orare, vt nobis, vel illis venia tribuatur, quam vt facilius impetremus, rem siue crimen extenuabimus his modis & rationibus.*

*Quod per imprudentiam, quod per ætatis imbecillitatem, quod nunc primum, antehac nunquam in illud vitium inciderimus.*

*Addemus, nos, seu illum pro quo scribimus, in magno*

*in magno mœrore versari, præ pudore domo pedem non efferre, timere omnia, & non mediocrem ob admissam culpam dolorem præ se ferre, vt misericordia dignus videri possit.*

*Ad hæc eius, quem placare voluerimus, lenitatem clementiamq; laudabimus, & ex antecedente probitate hominis, qui peccauit, spem bonam illi faciemus, vt ipsum supplicãtem venia impertiuisse non pœniteat. Idoneum huius generis exemplum inuenias apud Plinium epistola. 21. lib. 9. ad Sabinianum.*

Ad Deprecatoriam Responsio. Respõsio.

*Laudare initio poterimus confessionem culpæ, & ea nos maximè impelli dicemus ad ignoscendum, siquidẽ ignoscere pulcrum iam misero, pœnæq; vidisse peccantẽ, vt ait Claudianus.*

*Cupere nos quantum in nobis est, nemini prorsus irasci, neminem punire, sed aliorum delictis à mansuetudine nostra ad iustissimam irã aliquando traduci, immo potius trahi.*

*Nihilominus semper apud nos plus valuisse illam ad ignoscendum, quam istam ad puniendum, nec nos tam aliorum iniurijs lædi, quàm summissione placari.*

*Pollicebimur, si ita se in posterum gesserit, vt promiserit, nos illum multo cariorem habituros.*

*Deniq; alia huiusmodi non insuauia paulũ cogitanti, & Epistolam Deprecatoriam inspicienti in mentem venient.*

De

De Iocosa.

Ci. vlt. li. 1. Omnes fere lib. 7. ad Trebat. & multæ li. 9. Pli. 6. lib. 1. 12. lib. 7. Man. 17. li. 1. 27. li 3 fere in fine, 52. lib. 4. Cice. 12. 23. lib. 7. Plin. 15. 21. lib. 1. Cic. 1. offic.

*Reliquum est iocosum Epistolarum genus, quo nimirum tunc vtimur, cum de rebus loquimur iocosis: sed ad iocos acre est adhibendum iudicium: nec enim cum omnibus iocandum est, sed inspicienda est persona, & pro personæ qualitate iocandum est, vel non iocandum, cum sint qui iocum nec dicere soleant, nec ferre possint.*

Est autem duplex *Iocandi genus, vnum illiberale, petulans flagitiosum, obscœnum, aut scurrilitati proximũ, quod vt homine indignũ Christiano prorsus reÿciendum est.*

*Alterum elegans, vrbanum, ingeniosum, facetum: ac proinde amplectendum.*

*Iocosè aliquem carpere, & de eo conqueri, quandam affert gratiam: Nam iocando possum aliorum dicta, sententias, & facta confutare.*

*Sed cum Iocus naturæ sit munus, in eoq́, ob acumen & leporem, quibus rebus ioci commendantur, & admiratio, & delectatio inesse soleat, illud maximè cauendum est, ne dum nos ridicula dicere volumus, in ridiculo ipsi simus.*

Ciceronis Ioci.

*Iocosis & facetis epistolis ita delectatus est Cicero, vt vix vllam iocandi occasionem prætermittere potuerit, sed tamen in ÿsdem hac vtitur cautione, vt non velit nisi tempestiue iocari.*

*Sed*

*Sed quid ago, inquit, cum mihi ſit in certũ, tranquillo ne ſis animo, an, vt in bello, in aliqua maiuſcula cura, negotiove verſere. Cum igitur erit mihi exploratum, te libenter riſurum ſcribam ad te pluribus.*

*Item epiſt. 4. lib. Iocer ne tecum, inquit, per litteras? Ciuem me hercule non puto eſſe, qui temporibus his ridere poſſit.*

*Aliquando etiam in rebus ſeueriſſimis vtitur iocis. Aliquando ex ipſo loquendi genere occaſionem arripit. Sed diligens Epiſtolarum ipſius lectio, præſertim ad Atticum, hæc & plura docebit.*

*Solet autem iocationes ſuas ita claudere.* Iocationis claudendi ratio.

*Sed iam ſatis iocati ſumus.*

*Sed hæc iocati ſumus, & tuo more, & nonnihil etiam noſtro.*

*Sed de ioco ſatis eſt.*

*Plerunq; etiam à iocis ad ſeria ſibi tranſitũ parat hoc modo.*

*Extra iocum, vel, remoto ioco.*

*Aliquando iocis ſuis aliquid præfatur.*

*Sic tu ( libet enim mihi iocari ) quod diſertum non erit, ne putaris meum.*

*Alicubi admonet ea quæ dicit, non eſſe iocantis verba. Atq; hæc nolo me iocari putes.*

Ad Iocoſam Reſponſio. Reſpõſio.

*Ad epiſtolam Iocoſam, iocose quoque, modo ne quis offendatur, reſpondebitur.*

*Ad graues viros, & maiores, habita omni ratione*

*ratione grauitatis, dignitatis, & ætatis modeste est respondendū. Non tamen eodem modo, rescribendum ad omnes.*

*In pares si quidem & inferiores licebit vti iocis: In alios verò, vel non vtendum, vel vtendum modicè aut etiam intra modum.*

*De facetijs & iocis fusè & præclarè Iouianus Pontanus libris de Sermone. Et in 2. de Oratore Cicero ad Q. F. quem, qui diligenter legerit, ei ad iocandū materia deesse vix possit.*

De Flebili seu Lacrymosa.

Flebile *seu Lacrymosum Epistolarum genus, seu triste & miserum dicitur, quo querimur, dolemus, ingemiscimus, aut cruciamur, aliquid nobis, parentibus, amicis affinibus, vel patriæ accidisse incommodi.*

*In quo quidem genere rationes nostri doloris, gemitus, cruciatus, afferendæ sunt. Et quam spem, si vlla est, & qua in re, quóve in homine habeamus.*

*Solet flebilis Epistola gaudere interrogationibus & exclamationibus, vt & magis illū ad quem scribimus, mouere possimus, & nostrum dolorem ac mœrorem non mediocrem esse significemus. In quibus tamen vt in alijs omnibus adhibendus est modus aliquis,*

*Sciāt verò studiosi, non omnibus Epistolarū generibus (quale videmus esse Flebile) certas posse præscribi regulas, de illarum œconomia. Quocirca hic ea tantum posuimus, quæ apud doctos obseruari, animaduertiq́; potuerunt.*

*Huius*

*Huius porrò argumenti Epiſtolas, in quibus gemitus & lacrymas videmus. quærat qui volet, apud Ciceronem libro Epiſtolarum 14. & quaſdam ad Atticum vt 7. lib. 11.*

Ad Flebilem Reſponſio.

Ad Flebilem *eo reſpondendum eſt ordine, quo in conſolando vtendum eſſe infrà dicemus.* Reſpōſio.

De Conſolatoria.

*Nullum eſt Epiſtolarum genus, in quo libentius verſari deceat hominem Christianum, cui proprium eſt gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Nullum quoq; pulcrius aut frequentius, nullum propter multos è Philoſophiæ locos, & exemplorum copiam, quæ in conſolando adhibentur, grauius eſt, quàm ſit Conſolatorium.* Conſolatoriarū Epiſtolarum vtilitas.

*Quoniam verò hæc vita miſeriarum pleniſſima eſt, nec mortalium quiſquam reperitur, quem non attingat dolor, intelligitur, quam magnum beneficium æſtimari debeat, alienum tollere vel mitigare dolorem ac luctum, quod tamen non cuiuſuis eſt hominis, ſed auctoritate quadam & ſapientia præditi.*

*Cicero vt in omnibus Epiſtolarum formis quam maximè excelluit, ita in ſcribendis conſolatorijs valuit quàm plurimū, ex quibus huius generis præcepta permulta poterunt colligi. Sic & graues ſententiæ, & ad conſolandum aptiſſimæ, cum ex alijs eiuſdem ſcriptis, tum ex Tuſculanis*

*sculanis Quæstionibus, ex Plutarcho, Seneca, Francisco Petrarcha de remedijs vtriusq; fortunæ, & postremo ex libris Paraclescon seu Consolationum Antonij Hemertij, abunde multæ suppeditabuntur.*

*Nunc age dicamus, quo pacto Consolatio recte adhibenda sit.*

Cic. 2. li. 2. 10. li. 3. 5. li. 4. 14. 16. li. 5. 4. li. 6. Ad Att. 10. 11. lib. 12. 5. lib. 4. Plin. 10. 11. lib. 8. Manut. 18. li. 1. fere in medio 47. lib. 4. Ad Atti. 2. lib. 15.

In Consolando *natura nos docet, primum alterius infelicitate, molestia, dolore, rei alicuius iactura, & morte doleamus. Deinde blande & amice reddamus rationes, quibus amicum à molestijs & dolore abducere conemur, eum vehementer hortantes, vt omnem aduersam fortunam fortiter ferat.*

*Et quid sit forti & sapienti homine dignum cogitet, quid grauitas, quid altitudo animi, quid acta eius vita, quid studia, quid artes, ab eo flagitent, quibus à pueritia floruit, quid ipsa natura, quid tempora, quid necessitas.*

*Non illi solum id accidisse, ea nos conditione natos esse, vt nihil quod homini accidere possit, recusare debeamus, Turpe esse expectare temporis medicinam, quam repræsentare ratione possumus.*

*Et quod omnium maximum est, acquiescendum esse in summi Dei voluntate, cuius nutu, iuste, clementer, & sapienter fiunt, reguntur, gubernantur omnia, cuiusq; proprium est, dolorem & incommoda omnia in lætitiam vtilitatemq; mutare.*

*Poteris*

*Poteris quandoq; à rationibus incipere ipsis, quibus aliquando amicus consolatus te fuit. Indignum enim viro esse existimant docti, quod alteri praeceperit, id ipsum facere non posse, vel non conari. Vnde sic scribit ad Ciceronē Sulpitius epist. 5 lib. 4. Deniq; noli te obliuisci Ciceronem esse, & quae alijs consueueris praecipere, & dare consilium, & quae sequuntur.* Cicer. 9. ad Brutum. Manu. 46. li. 4. in fin.

*Si non potes aliquid efficere suadendo, gratia contendes, & rogando, si quid tua causa & aliorum velit, vt illis se molestijs laxet, eaq; faciat, quae & se & prudentia, & fortitudine animi sui digna iudicarit.* Ci. 14. li. 5.

*Si quid profeceris, quantum voluptatis assecuturus sis, ostendes, sin nihil, officio tamen beneuolentissimi, atq; amicissimi functum te fuisse significabis.*

*Excusant se quandoque, qui consolantur, cur longiores non sint, ne vel diffidere prudentiae illius videantur, vel illum obtundere, si minus eo studio delectaretur.*

*In fine verò Epistolae nostram illi operam studiumq; pro viribus nostris pollicebimur.*

*Epist. 5. lib. 4. cuius suprà mentionem fecimus, Seruius Sulpitius orator & Iurisconsultus eximius, Ciceronē ipsum, propter filiae Tulliolae ex partu obitum, consolatur tanta auctoritate, prudentia, humanitate, & orationis suauitate, vt nihil in eo genere putetur extare perfectius, quae idcirco Ciceroni ( vt ipse testatur epistola proxima ) dolorem vix consolabilem prope omnem detraxit.*

*Hanc proinde Epistolam, legant, relegant, ediscant, ac si quando aliquem de morte parentis, fratris, sororis, filiorum, cõsanguinei, affinis, aut cognati alicuius consolabuntur, ne omittãt iisdem argumentis uti, quibus intelligunt esse vsum eo loco Sulpitium.*

*Nam quamuis ex Christianorum disciplina, & libris sanctorum virorum etiam maior ac firmior ad consolandum materia sumi potest, fit tamen, nescio quomodo vt illa hominum antiquorum à nostris institutis remotorum doctrina & exempla nos Christianos vehementius permoueant, & ad quiduis persuadendũ, maius quoddam momentum habeant.*

*Inprimis nitantur adolescentes in hac forma litterarum omnem verborũ lenitatem adhibere. vt consolatio grauibus instructa sententijs & mollibus exornata verbis, ad miserorum afflictorumq́; aures magna cum suauitate affluat, & in intimos eorum sensus illabatur.*

Resp̃osio. Ad Consolatoriam Responsio.

Cic. 6. li. 4. 13. 15. lib. 5. ad Atti. 7. lib. 11. *Consolanti respondebis, primum, gratam, tibi fuisse Consolationem, si minus iucundã: Nec dubium tibi fuisse, quin tali ex tuis incommodis mœrore afficeretur amicus.*

Pli. Manut. 36. lib. 4. *Deinde quem fructum ex illius litteris ceperis, quod illis lectis aliquantulum acquieueris, cum oratio prudens ac beneuola, auctoritas, exempla, consilia, cæteraq́ue res eleganter copioséque collectæ, multam adhibuerint medici-*

*dicinam dolori. Sed illud maiorẽ, quod firmitudinẽ, grauitatémq; animi illius perspexeris.*

*Postremò, vbi causas tui doloris & fletus exposueris, desiderare te amici præsentiam ostendes, quam multum mœrori tuo (quando litteræ tantum valuerunt) mederi posse significabis.*

*Grati tamen viri est, gratias agere, & vicissim officium suum amico, & semper & ad omnia promptum paratúmq; ostendere. Precaberis tamen Deum ipsum, vt nunquam illi tua vti opera contingat, nisi in rebus cùm secundis, tum lætis.*

*Si consolatio nihil nobis profuerit, laudabimus animum, studium, & ingenium consolatoris: quod tanquam bonus ac peritus medicus nullum remedij genus non admonuerit; sed malum vincere omnem artem. Quomodo & Cicero ad Atticum epist. 16. lib. 10. Nescio, inquit, quomodo imbecillior est medicina, quam morbus.*

De Officiosa.

*Officiosa Epistola, qua operam, vel pollicendo, vel præstando nostram, aut præstitam honestè commemorando, vel gratiam inimus, apud aliquem vel initam aut fouemus, vel augemus: iure generi Consolatorio subijcitur, quia cum alibi, tum in quaq; Consolatoria Epistola, vt dictum est, operam nostram studiumq; polliceri solemus.* Pli. C 10. li. 1. 32. lib. 6. 16. lib. 7.

*Commemoratis enim prius, si placebit, ami-*

Manut. 23. li.2. in fin. *citiæ nostræ causis, nil tam promptum & paratum esse scribemus, quàm omnem nostram operam, curam, diligentiam, auctoritatem, gratiã, & facultates, ad omnia, quæ ad amici voluntatem, commodum & dignitatem pertinere cognoscemus.*

Ci.8 11 l.5. Manut. 38. lib.4. *Ideo rogabimus, vt nostra quantulacunque sit opera, alijsq; rebus, & ipse, & sui in omnibus vtantur negotijs publicis, priuatis, forensibus, & domesticis, cùm suis, tum amicorum, ac aliorum omnium, quoniam hoc nobis gratius, atq; optatius fieri nihil possit.*

Ci.10. li.3. fere in principio. *Addemus etiam (si ad rem facere videbitur) nos semper desiderasse tempus dari, quo & ipse, & alij cognoscerent, quanti à nobis fiat, vel doluisse nunquam datam nobis fuisse occasionem præstandi officij iam diu debiti. Nunc*

Cic.1. li.3. *autem accidit, nihil nos prætermittere sine nefario scelere posse.*

*Si quid prætermissum fuerit, & crebritate*

Ci.1. lib.8. 17. li.5. 29. lib.10. Pli.4.li.2. *& magnitudine officiorum nos resarturos pollicebimur. Si quid autem præstitimus, non minus breuiter, quàm modestè commemorabimus, quantum extiterit studium nostrum, dignitatis amici, vel tuendæ, vel augendæ.*

*Seu potius nõ dubitare nos scribemus (quod modestius & laudabilius habetur) quin vel sui vel alij perscripserint, cum nec mediocre, nec obscurum, nec eiusmodi fuerit, quod silentio possit præteriri, breuiterq; rem ipsam nos attingere poterimus.*

*Nihil*

*Nihil præterea nos prætermissuros pollicebimur, quod ad vtilitatē honestatémq; eius spectauerit. Omnia igitur dicemus, & postulet à nobis & expectet: cùm officijs nostris amici cogitationes superaturi simus.* Ci. 10. li. 3. non longè à principio.

*Iam priusquam de Responsione ad Officiosam dicamus, illud hic annotandum duxi, Officiosam epistolam vulgo appellant, eam, in qua operam nostram studiumq; amico pollicemur.* Quæ genera Epistolarū sub Officiosa contineātur.

*Sed vocem multò latius patentem nimis arctant. cùm ad hanc significationem restringūt, magnámq; Epistolis Consolatorijs, Gratulatorijs, Monitorijs, alijsq; nonnullis iniuriam faciunt, quippe qui eas quoq; hac appellatione, quam tamen non minus merentur, non dignantur.*

*Immo verò Officiosæ verius hæ dici possint, quamuis, qui aliquem consolatur, qui alicui gratulatur, qui aliquem monet, re ipsa officio amici fungatur. Atqui aliquid pollicetur, verbis duntaxat officium amici præstet. Possint ergo rectius fortassis Pollicitoriæ nominari.*

## Ad Officiosam Responsio. Respōsio.

Ad Officiosam Epistolam *omnia responderi poterunt, quæ in Gratiarum actione conuenire diximus. Non minus enim officiosa, & humanitatis plena esse debet responsio, quàm fuerit Epistola, ad quam respondetur.* Ci. 15. 19. li. 5. 32. lib. 7.

*Et si minimè noua tibi fuerunt, quæ præstitit amicus, grata tamē & iucūda declarabis. Cùm* Manut. 3. l. 1. 13. 16. 26.

li.2.14.li.3. *ea sit amici voluntas, humanitas, & beneuolen-*
Pli.1.lib.4. *tia erga te, libenter talem te amplecti animum.*
14.li.7. *Polliceberis etiam operam tuam, certan-*
lib.8. *dumq; esse officijs dices, quibus æquo animo, vel vincas illum, vel vincaris ab illo.*

*Tuam omnem spem significabis in illo vno, vel in illo maxime post Deū ipsum, à quo primo bona omnia emanant, positam esse, tantam humanitatem & beneuolentiam, tot tantáque officia, nullam vnquam inobscuraturam obliuionem.*

## De Gratulatoria.

Cice. 11.12. De Gratulatione *dignum sanè est obserua-*
li.3.8. li.15. *tu, quod vir eruditiss. & eloquentiss. Paullus*
Plin. 13.23. *Manutius annotauit in epist. 7. lib. 1. qua Ci-*
li. 4. 12. 15. *cero Curioni de Tribunatu plebis gratulatur.*
li.5.26. lib. 6. Manu. 1. *Tria seruat, inquit, in officio Gratulationis,*
2.8. lib.1.9. *primum gratulatur tantam dignitatem. Deinde bene precatur: Tum hortatur ad Magi-*
10.li.2 20. 29.li.3. 29. *stratum cum laude gerendum, hactenus ille.*
30.45. li. 4. Gratulatio, *(quæ aut vtilitati, & commodo debetur, quæ magna quidem est: aut honori ac dignitati, quæ maior habetur: aut virtuti & pietati, quæ omnium est maxima) fit, cum alicui gratularis de rebus, vel quæ illi prosperè euenerunt, vel quæ alijs, de quibus quidem maximam illum arbitraris percipere lætitiam.*

*Si de rebus, quæ ad hominem pertinent, illud obseruare debes, vt incredibili te ex illa dignitate, vtilitatéve illi nec petenti, nec ambienti de-*

*ti delata, nec expectanti quidem, affici lætitia dicas, perinde ac ex rebus tuis, & ipsius causa, & tuo quoq; nomine, & quod vides ea egregijs & doctis viris tribui ornamenta, & commoda, quæ debentur.*

*Addes etiam, non dubium tibi fuisse, quin illam assecuturus esset rem, cum multo etiam maiora illius merita postulent: Orabisq; Deũ, vt honorem illum, aut facultates fortunet.*

*Inferes tamen nonnunquam hortationem ipsam, etiam si minus necessarium esse intellexeris, vt & tuum testificeris in illũ amorem, & magis hominem ad virtutes, & res præclarissimè gerendas inflammes.* Ci.5.7 9. li. 2.14. lib. 9. Pli 23. li. 7.

*Si de alijs, vt puta de fratre erit gratulatio, mirum in modum te gaudere scribes, illum cepisse fructum vel pietatis in suos, vel animi in Remp. vel rerum bene & prudenter gestarum, cum assecutus frater fuerit, illam aut dignitatem, aut vtilitatem.* Cicero 7.9. lib. 15.

*Idq; te facere significabis, cùm fratris causa, tum quod iudicas amicum omnibus secundissimis rebus dignissimum. Quo quidem genere vtimur, cum vel nobis ipsi gratulamur, vel alijs aliqua re nostra.* Ad At. 1. li. 4. Pli. 19. li 4. 23. lib. 9

*Vbi cauendum esse arbitror, ne adeò inaniter, & effusè animus noster exultet, vt illa lætitia vel gestiens, vel nimia dici possit.* Cic. 9. li. 2. 12. lib. 3. 21. li. 16. vltra medium.

*Rerum autem ordo postulat, vt cum missa est epistola, gratulatio sit in principio, id quod & Cicero ostendit & filius. De gratulatione vide Brandolinũ ca. 18. lib. 2.*

Respōsio. Ad Gratulatoriam Responsio.

Ci.11.14. li. 4.21. lib.16. ad At. li 9 Cæsar ad Oppium. Pli.8.li.4. Ad Gratulatoriam *rescribes, gratam tibi fuisse gratulationem. Amici enim cum humanitatem, tum beneuolentiam agnoscis, cum minimè dubium vllo tibi vnquam tempore fuerit, quin omni ille afficeretur lætitia de omnibus tuis tum commodis tum honoribus.*

*Vt & semper cepisti voluptatem, capturusve ex omnibus rebus esses, quas ad illius vel dignitatem vel vtilitatem pertinere cognosti, cognosceréſve.*

Ci. 15. li. 2. *Optare te, & sperare monstrabis, rem non modo prosperè euenturam, sed etiam maximæ tibi voluptati fore: Confidere etiam, multum te in ea amici humanitatem, & prudentiam adiuturam.*

*Probatissimam tibi esse significabis rationē, quod ab optimo sit animo: Demum gratias agere, tuæ esse partes videntur.*

Ci. 15. li. 2. 11. lib 10. De Epistola, qua gratias agimus.

Pli.19.li.4. 2.li.5.3.16. 28.li.6. Manut. 15. li.2.37. l.4. In Gratiarum verò actione, *quæ primum locum in Epistola, si pluribus de rebus scribendum est, desiderare videtur, accuratè & prudenter de rebus nostris actum esse ab amico ostendemus. Confectam rem esse, siue conficiendam nos sperare ex nostra sententia.*

*Resq; ipsas si videbitur, quæ ab illo facta sunt, narrabimus, omnes conferentes non in merita nostra, sed in illius cum humanitatem, tum liberalitatem, & diligentiam.*

*Id*

*Id quod faciemus etiam, cum de rebus nobis donatis erit dicendum, pollicebimurq; non mediocrem nos adhibituros curam, vt viros nos dignos amici laudibus & fauoribus ac muneribus præstemus.* Manut. 26. lib. 4.

*Verùm si res fortè fortuna minus ex voto suc cesserint, per amicum non stetisse fatebimur, quo minus eas assecuti fuerimus: omnia enim quæ ab amico proficiscuntur, grata nobis esse, & solent, & debent.*

*Demum vel apertè meritas agemus gratias, & si dabitur zelaturos promittemus: sin minus, Deum ipsum orabimus, vt cumulatè pro nobis respondeat: Vel per circuitionem faciemus, gratiarum relatione potius, quam actione opus esse scribentes.*

*Dicimus tamen, quandoq; non esse amici agere gratias, vel pluribus id agere, ne blandus esse videatur. Cùm iam pridem id ex nostra necessitudine, quæ ad summam beneuolentiam peruenit, sublatum esse deberet.* Cic. 24. lib. 10. 15. li. 11. ad Brut. 6. Manut. 11. lib. 4.

*Dubitare videntur nonnulli, num inter amicissimos, gratiarum actio locum habere debeat. An vero, quod Bruto & Planco visum est, sine offensione prætermitti possit. Sic enim ille, Iam non ago tibi gratias, cui enim re vix referre possum, huic verbis non patitur res satisfieri. Rursus idem. Noli expectare, dum tibi gratias agam, iam pridem hoc ex nostra necessitudine, quæ ad summam beneuolentiam peruenit, sublatum esse debet.*

*Plancus aũt sic quandam exorditur Epistolam, Facere non possum, quin in singulas res meritaq; tua tibi gratias agam: Sed me hercule facio cum pudore: neq; enim talis necessitudo, quantam tu mihi tecum esse voluisti, desiderare videtur gratiarum actionẽ, neq; ego libenter pro maximis tuis beneficijs, tam vili munere defungor orationis. Et malo præsens obseruantia, indulgentia, assiduitate memorem me tibi probare. Sic igitur illi sentiunt.*

*Sed Cicero epistola decimanona libri 10. de Gratiarum actione sic scribit, Quanquam gratiarum actionem à te non desiderabam, quum te re ipsa atq; animo scirem esse gratissimum, tamen (fatendum est enim) fuit ea mihi periucunda, sic enim vidi, quasi ea quæ oculis cernuntur, me à te amari. Dices, quid antea? Sed nunquam illustrius. Cicero igitur in summa etiam amicitia officiũ hoc non improbat: Rationes tamen Bruti & Planci non videntur cõtemnendæ.*

*Inter amicissimos igitur puto gratias agi posse, si minus fortasse debeant. Quandoquidem ea interdum ob amorem alteri præstamus, quæ nobis ipsis nunquam præstaremus: atq; ita aliũ, quam nos, & pluris facere, & magis diligere videmur.*

*In Gratiarum igitur actione, beneficium quod accepimus, erit modis omnibus amplificandum: Nam sæpè gratiam retulisse videtur, qui benè gratias agit.*

*Am-*

*Amplificatur autem his ferme rationibus.*

*Si vltrò collatum est. si incunctanter, si citò. Bis enim dat, qui cito dat. Si in tempore.*

*Si vberius, quam alter ausus sit petere.*

*Si nihil pro merito: Si ab eo cui libenter debemus, hoc est, ab eo quem amamus ex animo.*

*Lege Brandolinum cap. 17. lib. 2.*

### Ad epistolam gratiarum actricem, Responsio.

Respõsio.

*Agenti gratias respondebimus, non mirari nos, sed vehementer gaudere, grata illi esse officia nostra, cum hominem omnium gratissimum cognouerimus, idq; nunquam nos destitisse prædicare, dolere quod plura pro amico facere nobis non licuerit.* Cic. 18. li. 2. 11 lib. 5. 19. 20. lib. 10.

*Recipiemus tamen illius dignitatem, indies maiori nobis curæ futuram, licet adeo eam amplificatam esse sciamus virtutibus suis, vt vel nihil, vel parum addi posse videatur.*

*Præterea tantam inter amicos necessitudinem, nullam desiderare gratiarum actionem scribemus, nec eam nos vnquam expectasse: Immo si mutua fuerunt beneficia (vt maiorem captemus beneuolentiam) illum non gratiam modo nobis habuisse, verùm etiam cumulatissimè retulisse dicemus.*

*Modesti præterea hominis est, præsertim si ad magnos scribatur viros, non modo nullam admittere gratiarum actionem: verùm illud etiam addere, beneficiũ se accepisse, nõ dedisse,*

cum

*cum plus vel commodi, vel ſuauitatis ex illa re in eximium illum virum collocata adeptus ipſe fuerit, quàm magnus ille vir.*

De Epiſtola imperante & prohibente.

*In his prima eſt, imperandi ratio, quæ ſuperiorum aut Magiſtratuum aut poteſtatem aliquam gerentium eſt. Sed cum illi per alios, vt plurimùm ſcribant, viriſque præcepta tradenda.*

Imperantibus tria cōſideranda.

*Omnibus igitur, qui per litteras aliquid imperaturi aut mandaturi ſunt, ſiue ſuo, ſiue alieno nomine id agant, tria potiſſimum conſideranda ſunt: quibus imperetur, quid imperent, quomodo imperent.*

*Nam etſi omnibus benignè manſuetéq; imperandum eſt, (omnes enim humanitati, quam ſuperbiæ potius obtemperant) ingenuis tamen, & generoſis animis manſuetius & conſideratius imperandum eſt: ſponte enim quæ agenda ſunt, agunt.*

*Retinenda tamen eſt ſemper maieſtas imperantis, ne, cui præeſt, ſubeſſe, aut quem cogere poteſt, rogare videatur.*

*In hoc genere aut nullo, aut quam breuiſſimo exordio vtendum eſt: Id ſi res poſtulabit, ad ea quæ facienda ſunt, lectorũ animos præparabit, rationémq;, qua ipſe ad imperandum ductus ſit, aut vtilitatem exponet.*

*Nonnunquam rei magnitudinem, difficultatem, honeſtatem, laudem, præmiúmq; proponet. Id*

*net. Id si opus non erit, à narratione incipiet eius rei, de qua imperaturus est.*

*Rem autem quam imperabit, primum fieri posse ostendat necesse est. Deinde etiam facilē, aut certè non difficilem: honestam præterea & vtilem, non ei qui imperat solum, sed ei quoque qui imperium sustinet, & si poterit, etiam necessariam.*

*Modum quoque rei gerendæ, facultatémque præbeat, postremò, quid ex ea re emolumenti vel laudis sit vterque consecuturus, ostendat.*

*Mandandi eadem, quæ imperandi ferme ratio est, nisi quod qui mandat, rogare potest, Qui imperat, si modo imperat, non potest.* Mādare & Imperare differunt.

*Precum tamen loco, adhortationes atq; incitationes succedūt, quæ imperanti nonnunquā vtiles, sæpè etiam necessariæ sunt. Prætera qui mandat, familiarius ac lenius: qui imperat, grauius ac seuerius agit.*

*Prohibendi quoque ratio non sanè ab imperando multum discrepat. Quibus enim rationibus imperamus, iisdem quoque prohibeamus necesse est. Sed prohibemus asperius, & præmij loco pœnam ignominiámque proponimus.*

*Plus tamen in omni re humanitas & æquitas, quam ius vllum, aut seueritas valet. Sed de toto hoc genere hactenus. vide Brandolin. lib. 2. cap. 23.*

## De Dedicatoria seu Nuncupatoria.

Epistola dedicatoria.

Dedicatoria Epistola dicitur, qua librum aliquem quacunq; de materia à nobis scriptũ, illustratũ, emendatum, vel Cõmentariys, Annotationibus, Scholiys, explicatum, vel nostra saltẽ opera typis excusum, ad aliquem mittimus.

*Hæc quoniam Epistolarum limitibus includitur, eiusq; creberrimus est vsus, & inuenias qui libros possint scribere, non possint tamen iisdem illis bonam, elegantem & artificiosam (quale artificium illa postulat) præfigere Epistolam, à multis neglecta, à nobis tamen non videbatur prætermittenda.*

*Dicemus igitur primum, quibus sint libri dedicandi: deinde quæ ratio nominis: tertiò quæ causæ dedicationis: & postremò quid sit huiusmodi epistolæ artificium.*

Quibus libri sint dedicandi.

*I. Primùm igitur quibus dedicẽtur libri, huiusmodi sint oportet, vt vel vno aliquo eximio ornamento, aut multis simul emineant, Qui maximos in Repub. honores gesserint, sanguinis nobilitate clari, Eruditione præstantes.*

*Barones, Comites, Principes, Reges, Imperatores.*

*Episcopi, Cardinales, Pontifices Maximi, vnde appellatio ipsa fluxit.*

Cur Dedicatoria.

*II. Nam cum Deo, Diuisq; dedicare quippiam propriè dicamur, isti heroes præ reliquorũ hominum cœtu Dij quidã terrestres ob Maiestatem, Potestatisq; amplitudinem, virtutes, diuitias, & cætera tum animi, tum fortunæ bona videntur.*

*Vox*

*Vox Nuncupatoria inscriptionem respicit, ut Epistola Nuncupatoria sit, qua quis librum suum cuipiam inscribit, cum quo librum nominari. seu à quo librum nuncupari cupit, confunduntur tamen hæc duo vocabula, quando de Epistola sermo est.* Cur Nūcupatoria.

*III. Dedicamus autem lucubrationes nostras magnis principibus, & eorum nomine insignimus his fere de causis.* Causæ dedicationis.

*Primum ut ipsorum nobis beneuolentiam, gratiam, amorémq; conciliemus, conciliatum augeamus atq; confirmemus.*

*Tum ut homines priuati eo meliorem de nostris laboribus opinionem concipiant, quod eos ad tam illustres viros, ad ipsa capita & Rectores orbis terrarum missos conspiciunt, quibus procul dubio nihil inelegans, indoctum, vulgare, abiectumq; donatur.*

*Hinc fit, ut libentius, & cupidius tales libros euoluant ac magis venerentur, videlicet, ne illorum quibus consecrati sunt, auctoritatem paruipendere & iudicium irridere videantur.*

*Et cum obtrectatores linguas suas fere coerceant ab huiusmodi doctorum vigilijs lacerandis, quas clarissimis & potentissimis Principibus dicatas vident.*

*Aliorum verò libros, qui nullum illustre splendidumq; nomen præ se ferunt, negligant ferme, & legere vix dignantur, fit ut huiusmodi nuncupatione, non auctoritas modo, sed patrocinium quoq; & tutela libris comparetur.*

*Nunc*

*Nunc age leges aliquot & præcepta in hoc genus proferamus, nō fixa illa quidem, & immutabilia prorsus sed tamen congruentia, satisque certa.*

Præceptiones huius generis. *IIII. Dicendi genus seu character huiusmodi Epistolæ, vt ex libro secundo facilè cognosci potest, accommodari debet personæ, cui Epistola scribitur.*

*Grauis scilicet, copiosus, ac summus, si summa fuerit Personæ auctoritas, existimatio, amplitudo, dignitas.*

*Si Mediocris, medius quoque temperatusq; character adhibebitur.*

*Infimis verò nunquam aut perrarò: quod ad plebeios & infimos, nisi forte ad amicos, non soleamus mittere libros.*

Exordimur *ab aliqua re pulchra, illustri, præclara, delectabili, seu à loco communi, paulatimq; ad operis argumentum institutúmque delabimur.*

*Quomodo facere consueuit Paulus Manutius, in suis, quas appellauit Præfationes, interdū à nostris rebus occupationibus, negotijs, fortuna, vitæ statu, atque euentis principium ducimus.*

*Deinde occasionem & causas explicamus, quibus incitati fuerimus ad librum conscribendum, ne quid inconsultò aggressi putemur. Hic de vtilitatibus ex ea lectione illóq; studio capiendis licebit disputare. Hæc siquidem vna*

*solet*

*solet existere ratio, qua docti viri ad libros diuulgandos impelluntur.*

*Tertio dicendum est aliquid de modo & œconomia, quam tenuerimus in opere nostro, Hoc,& superius praeceptum in tanta librorum eadem aut quasi eadem de re scriptorum multitudine,obseruatu sunt vehementer necessaria, vt si minus res nouas,noua tamen,commodioréque via & methodo, diligentius & apertius (quae singula per se magna sunt) tradere nos velle intelligatur.*

*Post haec Patroni nostri laudabiles actiones, egregia facinora insigniter praedicabimus, ac,si videbitur, ad earundem laudum ampliorem gloriam cohortabimur: quae in parte nihil vetabit esse longiores. Quamuis necesse non fuerit, rhetoricum quendam in laudando ordinem persequi: verum, si multa sunt, praecipua diligenda,& verbis exquisitis in caelum extollenda erunt.*

*Postremò, munus, nósque ipsos offeremus, extenuantes nostrum ingenium, doctrinā cum libro deprimentes, at paucis, suauiter, ac moderatè.*

*Rogabimus item, vt nos in suorum numemero habere pergat, plura, maiora, elaboratiora ipsiusq́; splendore digniora pollicebimur.*

*Verum enimuero, hic ordo praeceptionum tam anxiè custodiendus non est, nam hic quoq; vt alibi,libera est Epistola.*

*Atq; vt finiam, qui grauiter, politè, & sapienter præfari concupiscit, legat & veterum Præfationes, vt Ciceronis ad M. Brutum in libris de Natura Deorum, De finibus bonorum & malorum, Tuscu. Quæst. Parad. Orat. perf. Epist. aliquot ad Q. F. Lib. de Orat. & epist. libros 3. ad Atticum de Amicitia, & Senectute, & Epist. libros 16. Ad M. Filium, 3. de. Offi.*

*Et dedicatorias doctissimorum quorundam nostri temporis Pauli Manutij, Antonij Mureti, Petri Victorij, Ioachimi Perionij, Caroli Sigonij, & similium, si modo sint aliqui horum similes.*

De quibusdam alijs Epistolarum formis.

*Hactenus octodecim Epistolarum formas explicando pertractauimus: quibus addere possemus, Amatoriam & Disputatoriam.*

*Sed & modus aliquis adhibendus est, & pæne nihil est reliquum, quod generibus iam explicatis non includatur.*

Quę Epistolarũ genera hic omittẽnda.

*His adde, quod illa à nostris moribus vitaq; instituto prorsus aliena sit, qui Apostoli consilium sequentes, libentius doceremus sedare amorem quàm concitare pudicitiam Deo consecrare, quam sanctum licet & honorabile inire matrimonium.*

*Disputatoria verò est illa quidem inter doctos frequens, Sed de ea certa & stabilia præcepta præscribi non possunt.*

Quin

*Quin etiam Disputationes, nisi fortassis admodum faciles, ex Demetrij sententia epistolis excluduntur.*

*Vbi igitur de Mista dixerimus nonnihil, extremam, quod dicunt, manum libro huic tertio tunc imponemus,*

De Mista seu Composita. Mista.

*Mistam vocare potes Epistolam, cuius scriptor pari ratione modoq; diuersos sibi fines propositos habuerit.*

*Quæ verò ex diuersis quidem Epistolarum formis conflata, vnum habet præcipuè Scriptoris finem non Mista seu Composita dicetur Epistola, sed Simplex, illius videlicet generis, ad quod finis ille spectat præcipuus.*

*Non igitur omnis Epistola Mista dici potest cuius partes ad diuersa spectant Epistolarũ genera, si modo partes illæ ad vnum eundemq; finem præcipuum referuntur.*

*De Mistis seu Confusaneis Epistolis, quæ res varias complectũtur, illud solum admonuerim, in ijs non parum lucis afferri lectoribus, si seorsum publica, seorsum priuata: seorsum gesta, seorsum gerenda describantur.*

*Eaq; aptis connectendi, particulis & transitiunculis inter se rectè connectantur, ne velut scopæ dissolutæ turpiter diffluant.*

Epistolam esse liberam, nec certis perpetuisque legibus astringi. Epistolarũ libertas.

Illud postremò *animaduertendum est, nos*

*non omnia hec quæ dicta à nobis sunt, firmissimam legem esse velle, nec aliter fieri nunquam posse existimare, nedum præcipere.*

*Nam cum libera & soluta sit Epistola, nulli fere addicta legi, ingeniosi adolescentes, vt magis generi, de quo agitur, conuenire videbitur, & addere & mutare, & imminuere poterunt multa.*

*Nos enim ea fere posuimus, quæ apud Ciceronem potissimùm obseruata leguntur, vt adolescentibus viam facilem, ac latam efficeremus, qua illi ad metam ipsam quam citissimè peruenire possent. Nunc alia non nulla subyciamus, quæ rectè scribendi artificio magno quoque adiumento esse queant.*

LIBER

## LIBRI IIII. Schematismus.

*Elegantiores Epistolam exordiendi formulæ.*

Ex Cicerone, Bembo, Sadoleto, Manutio & alijs selectæ.

Exordia {
- *Lacessentis aliquem ad scribendum.*
- *Ad Epistolam alicuius respondentis.*
- *Respondentis ad Epistolam admodum gratam.*
- *Expostulantis cum aliquo de Epistolarum raritate.*
- *De litterarum raritate se excusantis.*
- *Purgantis se de longiore silentio.*
- *Serò alicui respondentis.*
- *Purgantis se de litterarum breuitate.*
- *Beneuolentiã suam alicui contestantis.*
- *Petendi quidpiam ab amico.*
- *Agendi alicui gratias.*
- *Amicum aliquem consolantis.*
- *Scribentis ad ignotum aliquem.*
- *Ignoto alicui respondentis.*

Exordia cum ad scribendum lacessimus.

*Ego, etsi nihil habeo, quod ad te scribam scribo tamen, vt tuas eliciam.*

*Scire cupio, quid agas, & quam longum istum tuum discessum a nobis futurum putes.*

*Non dubito, quin mirere, atq; etiam stomachere, quod tecum eadem de re agam sæpius.*

*Etsi quid scriberem non habebam, tamen amico ad te eunti, non potui nihil litterarum dare.*

*Iam diu ignoro quid agas: nihil enim scribis, neque ego ad te his duobus mensibus scripseram.*

*Gratulor tibi mi Sadolete, verèque gratulor, quod ex Germania saluum te ad tuos recepisti.*

*Optabam iam pridem, vir omnium integerrime, te meis litteris compellare, vt tuas elicerem.*

*Certior per te fieri cupio, num iam aduenerit Rex Catholicus, aut quàm mox exspectetur adfuturus.*

*Epistolæ argumentum ad te nullum prorsus erat, nisi id mihi N. noster suis ad me litteris præbuisset.*

*Subinde motis alis istuc aduolaturio mi N. sed semper aliquid oboritur, quod me heic rursus alliget.*

*Expectamus omninò non epistolam à te, sed ingentem litterarum sarcinam, quæ vel grauet Ægyptium.*

*Tu velim ad me quàm sæpissimè, & de tuis* rebus

*rebus, & de meis, & de omni Reip. statu, de quo sum sollicitus, scribas.*

*Carissime N. si valentibus salutem dicimus in capite litterarum, multo magis conuenit ægrotanti tibi optare salutem.*

*Noui quod ad te scribam, mi N. nihil est, & si quid esset, sciebam te à tuis quotidie certiorẽ fieri solere.*

*Nihil erat noui, quod ad te scriberem, nisi quod mihi decretum est, neminem nostris ad te litteris inanem hinc dimittere.*

*Etsi nihil noui quod ad te scriberem, habebam, tamen cùm N. noster proficisceretur, non potui nihil ei litterarum dare.*

*Copiosissimam ad te Epistolam scribere gestiébat animus, ni & otium deesset, & propediẽ vos ipse visere decreuissem.*

*Quo in statu res nostræ sint, & nunc & alias scribemus vberiùs: diuitijs enim vt non multùm polleo, ita nec egeo quidem multùm.*

*Maiorem in modum te rogo obsecroq́ue, vt posthac tantillum otij studijs negotijsq́ue tuis suffurere, quo me nonnunquam litteris tuis compelles.*

*Obsecro te mi carissime N. vt quoniam Dedali esse non possumus, vt pennarum beneficio conueniàmus, vt litteris subinde colloquamur.*

*Non quod quidquam habeam te dignum, ad te scribo: sed iccirco tantum, vt rescribas, alioqui mihi nec caussa scribendi est vlla, nec argumentum.*

*Quærenti mihi iam diu, quid tibi potissimum scriberem, non modò certa res nulla, sed ne genus quidem litterarum vsitatum veniebat in mentem.*

*Et si nostratia omnia nuntijs, aut rumore ad vos perferuntur, tamē ea inscribam breui, quæ potissimùm te puto ex meis litteris velle cognoscere.*

*Etsi nihil erat opus epistola, proficiscente istuc N. nostro, qui res meas non minus nouit, quàm ego ipse, non potui tamen quin te saltem epistolio salutarem.*

*Tu velim ad me frequenter scribas, etiam vt nihil magnopere sit quod scribas. Quanquā hæc eiusmodi sunt tempora, vt Epistolæ argumentum deesse non possit.*

*Dolui vehementer ac sæpè, N. doctissime, binas meas ad te litteras proximo scriptas biennio, perijsse: perijsse enim duco, quibus nihil ad huc responderis.*

*Doleo, intermissam esse tam diu inter nos consuetudinem dandi litteras, quæ mihi erat multò iucundissima.*

*Rogo te, quod quidem vtriusque nostrum fiat commodo, vt ad eam reuertamur.*

*Nimium iam diu est, ex quo nihil ad te litterarum dedi, cùm neque libentiùs faciam quidquam, quàm loquar tecum per litteras, vbi coram non datur. Et tu in intimis sensibus sis infixus: sed indicabo tibi, quæ me ratio deterruerit.*

Etsi

*Etsi nihil habebam hoc tempore scriptione dignum, ad te præsertim. cui publicis curis negotijsque occupato, non est temere scribendum quidquid in buccam venerit: Singularis tamen amor in me tuus effecit, vt quiduis potius loquerer, quàm omnino tacerem.*

*Etsi statueram nihil ad te litterarum dare, nisi tu mihi epistolæ argumentum ipse præbuisses: tamen cùm ad N. hominem vtriusq; nostrum studiosissimum scriberem, putaui aliquid etiam ad te litterarum esse dandum.*

*Non dubito, quin tibi odiosæ sint epistolæ quotidianæ, cùm præsertim nulla noua de re certiorem te faciam: Sed tamen euntibus ad te nostris domesticis, vt nihil ad te dem litterarum, facere non possum.*

*Pridie quàm has scriberem, iam alium quẽdam litteris ad te datis oneraueram: verùm certius existimaui, si quid forte fortuna accidisset, alteras per hunc addere, non iisdem quidem verbis, sed eodem pæne argumento.*

*Etsi constitueram nihil ad te dare litterarũ, nisi me ipse vel scripto aliquo prouocasses, vel heic certè aliquid epistola dignum occurrisset, tamen cùm istuc N. proficisceretur, homo nostri ita studiosus, vt se sine meis litteris hinc discessurum esse negaret, scripsi has.*

*Non potui perferre diutius desiderium tui, quin sciscitarer ex te per litteras. quid ageres rerum, ac qui valeres: quod tamen æquius fuerat me cognoscere ex tuis litteris, tuaq; in illis*

*erga me beneuolentiæ habere testimonium, nec tamen puto me tibi ex animo effluxisse.*

*Reuocarem te ad intermissam nostram scribendi consuetudinem, ni metuerem, ne impudenter viderer facere, qui tibi, homini publicis functionibus occupato, negocium adderem: itaq; non postulo, vt tam crebrò mecum per litteras alloquare, quàm aliquando facere es solitus: Interdum tamen rogo te, ne graueris aliquid ad me litterarum dare.*

Exordia cum alicui respondemus.

*Accepi epistolas tuas, aliam alia iucundiorem.*

*Accepi litteras tuas binas, ad quas his vnicis respondeo.*

*Magno dolore affecerunt me tuæ litteræ, quibus ad me scribis.*

*Legi tuas litteras, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognoui.*

*Petis Iacobe candidissime, vt tecum animi mei consilium communicem. Hoc vnum habe.*

*Tua verò epistola, tantò mihi iucundior fuit, quantò longior, præsertim cùm de N. tota loqueretur.*

*Accepi aliquot epistolas tuas, ex quibus intellexi quàm suspenso & sollicito animo scire queres, quid esset noui.*

*Variè me affecerunt tuæ litteræ: Nam partim læta, partim tristia continebant: Læta quod te, &c. Triste illud, quod &c.*

Etsi

*Etsi iusta & idonea vsus es excusatione intermissionis litterarum tuarum, tamen, ne id sæpius facias, te rogo.*

*Scripta & obsignata iam Epistola, redditæ mihi sunt litteræ à te, plenæ nouarum rerum, maximeq́; mirabiles.*

*Vt tribus Epistolis tuis postremis carissime Parisi vnica respondeam, hoc est, de vna fidelia plures dealbem parietes.*

*Vt primùm otium & tempus scribendi nactus sum duxi esse rescribendũ eis litteris, quas ego abs te superioribus diebus accepi binas.*

*Accepi perbreues tuas litteras, quibus id, quod scire cupiebam, cognoscere non potui. Cognoui autem id, quod mihi dubium non fuit.*

*Quamquam gratiarum actionem à te non desiderabam, cùm tę re ipsa atq; animo scirem esse gratissimum, tamen fuit ea mihi, fatendũ est enim, periucunda.*

*Quod cessationem tuam tam religiosè excusas, facis tu quidem humaniter: sed nihil sanè, vt te mihi purgatum velles, opus erat, qui mihi negligentiæ nomine suspectus nunquam fueris.*

*Tanti sunt mihi litteræ tuæ, mi Flamini, vt nullo pacto credam posse me illis rescribendo satisfacere: Tanta rursus tua est humanitas, vt te boni consulturum, quidquid à nobis proficiscitur, existimem.*

*Etsi multarum rerum curis atque oneribus ita premor, optime N. vt respirare vix possim: tamen, vt litteris tuis amantissimè scriptis*

*aliquid*

*aliquid responderem, abieci omnia, & officiū, quod tibi à me debetur, habui antiquissimum.*

*Binas abs te accepi litteras Mechliniæ datas, quarum alteris mihi gratulabare, quod audisses me meam pristinam dignitatem obtinere: Alteris dicebas, te velle, quæ egissem bene & feliciter euenire.*

*Animi tui dotes adolescens carissime, velut in speculo tua repræsentauit epistola: quæ si tuo vnius Marte confecta fuit, sicuti fuisse nihil addubito, ausim tum mihi, tum sæculo magnū quiddam de te polliceri.*

*Accipio excusationem tuam, cur ad nos rarò hoc anno scripseris: Sed accipio ea ex parte, quatenus aut negligentia, aut improbitate eorum, qui epistolas accipiunt, fieri scribis, ne ad nos perferantur.*

*Epistola tua, vir integerrime, diu inter litterarum fasciculos delituit, vt mensibus aliquot diu multúmque quæsita, non quita sit inueniri: tandem vltrò, non quæsita, ad manus venit, &, vt inquit Ouidius, non inuenta reperta est.*

*Quod te de litterarum intermissione excusas, facis tu quidem humaniter: sed nihil, mihi crede, opus fuit, vt te apud me eo nomine purgares, qui & quātis occupationibus destineare noui, neque de tuo in me amore quidquam dubitaui.*

*Neq; negare audeo tibi homini eruditissimo, cuius ego plurimi semper amicitiā feci: neq; si polli-*

*pollicear, præstare possim, id, quod à me petis: Premor enim domesticis oneribus, vt vix sustineam: Peto igitur abs te, meis vt occupationibus ignoscas, & voluntatem in te propensam, licet absit res, tamen ames.*

*Quamquam me nomine negligentiæ tibi suspectum esse doleo: tamen non tam molestum mihi fuit, accusari abs te officium meum, quàm iucundum requiri, cùm præsertim, in quo accusabar, culpa vacarem.*

*In quo autem desiderare te significabas meas litteras prætefers, perspectum mihi quidem: sed tamen dulcem & optatum amorem tuum.*

Exordia cum respondemus ad Epistolam nobis gratam

*Multa me in epistola tua delectarunt: Sed nihil magis quàm quod.*

*Iam dies octauus agitur, aut plus eo, cùm optatissimas abs te accepi litteras.*

*Quò minus expectatæ venerunt tuæ litteræ, hoc mihi plus voluptatis attulerunt*

*Accepi litteras tuas, immo meros amores, quid enim aliud sonant? quid aliud spirant?*

*Gratum erat tuum munusculum, gratior epistola tam amica, gratissimus animus.*

*Litteras tuas, mi Sigoni, dici non potest, quàm acceperim cupide, quibus ad me scribis, &c.*

*Litteræ tuæ, quo sunt frequentiores, atque etiam*

*etiam longiores, eo mihi maiorem adferunt voluptatem.*

*Litteræ tuæ perbreues sunt, si quis versus numeret; sed eædem prolixæ, si quis humanitatem æstimet.*

*Quò magis præter spem acciderunt, hoc gratiores fuerunt tuæ litteræ, mihi non semel votis ardentissimis exoptatæ.*

*Gratæ mihi tuæ litteræ fuerunt, immo verò & peroptatæ & dulces, quæ mei apud te memoriam residere, mihi indicarunt.*

*Valdè sum affectus tuis litteris, doctissime & humanissime Steinhusi: valde priori pagina perturbatus paullùm altera recreatus.*

*Libentissimè legi tuas litteras, integerrime Morilloni: in quibus iucundissimũ mihi fuit, quod cognoui meas tibi esse redditas.*

*Accepi litteras tuas & suaues profectò, & eruditas: quibus non aliter sum oblectatus, atq; olim tua consuetudine, cùm essem Louanij.*

*Gratissima mihi tua fuit epistola, quæ testabatur veterem illum tuũ in me animũ: Meus verò cur mutatus esset, nulla est causa.*

*Bis nos exhilaras, N. candidissime, dum vino suauissimo litteras addis multò suauiores: Quare duplici nomine tibi gratias agimus.*

*Gratæ mihi tuæ litteræ fuerunt, ex quibus intellexi, quod etiam sine litteris arbitrabar, te summa cupiditate affectum esse videndi mei.*

*Reddita mihi tua est epistola, quæ vel hoc nomine fuit gratissima, quòd à Robortello venerit,*

*nerit, homine longè gratißimo & amantißimo nostri.*

*Epistolam tuam accepi, quæ mihi tum ob recordationem veteris notitiæ fuit iucundissima, tum quod abs te, cuius ingenij dexteritati ex animo faueo.*

*Iucundißima mihi fuit tua epistola, mi N. & videris mihi non infeliciter operam in stylo excolendo posuisse, quæso te ne desuetudine sinas obsolescere.*

*Amice candidißime, multo gratißimæ mihi fuerunt litteræ tuæ, quibus etsi contractè rescribo, & serius quàm debeam, amo tamen effusißimè meum Susium.*

*Epistola tua suauiter & amanter in primis, eademq́; elegantißimè conscripta, memoriam mihi nostræ consuetudinis, tuæq́; virtutis, & humanitatis vehementer auxit.*

*Accepi litteras tuas datas Florentiæ extremo mense Iunio, ad me Septembri ineunte perlatas, ex quibus cognoui quod mihi fuit iucundißimum, te rectè valere.*

*Grata mihi est vehementer memoria nostri tua, quam significasti litteris, quam vt conserues, non quod dubitem de tua constantia, sed quia mos est ita rogandi, rogo.*

*Epistola tua Præceptor humanißime, qua mecum de officio dilectionis expostulas, mirum in modum me delectauit: gaudeo profectò, mihi datā, quod aiunt, ansam crebrioribus, quàm hactenus, te litteris solicitandi.*

*Quas ad me his proximis superioribus diebus litteras dedisti, mi Murete, incredibili me affecerunt voluptate: quod enim plerique solent ægrè ferre, id mihi plane iucundissimum fuit, nempè, vt me obiurgares.*

*Litteræ tuæ perbreues, sed amoris humanitatisq; plenissimæ, hoc mihi etiam fuerunt iucundiores, quòd manu tua scriptæ illud ipsum testimonium de quo scribis, nostræ perpetuæ & constantis amicitiæ, grauius multò faciebant.*

*Reddita est mihi à te epistola, quæ vel hoc nomine mihi fuit gratissima, quòd tam amanter prolixéque mecum confabulari, tædium non fuerit. Salutaui quos voluisti, rescripturus per occasionem, vt vincere prolixitate possim.*

*Magna me voluptate affecerunt tuæ litteræ, ex quibus perspexi, vigere apud te, & memoriam amicitiæ nostræ, & studium propensæ erga me voluntatis, quam ego habui semper carissimam ab eo vsq; tempore, quo. etc.*

*Gratum mihi est, quod me de iis quæ in Galliis publicè priuatimq; geruntur tam accuratè facis certiorem, quodque tua cura, & amicorum ad me, & meæ ad amicos litteræ perueniunt, cùm sumus tam vasto [illegible] spacio disiuncti.*

*Non facile dixerim, plusne voluptatis an doloris ex epistola tua [illegible] perim: e[illegible] mihi gratissimũ, cùm & me a[illegible]e amari, & [illegible] amore in te meo delectari [illegible]: ex qu[illegible]*

[illegible]

*litteras tuas beneuolentiæ plenissimas & officij iucundissimè legam.*

*Redditæ mihi sunt abs te litteræ, gratissimæ illæ quidẽ & optatæ, vt poteamore illo tuo verè fraterno plenissimæ: sed tamen quæ mihi voluptatẽ illam, quam ex tuis litteris capere soleo, magna ex parte imminutam attulerunt: significabant enim te in quartanam incidisse.*

*Iucundissimæ mihi litteræ tuæ: nec iucũdissimæ solùm, immo etiã salutares: Quod enim te saluum mihi & sospitẽ nunciarunt, per eas quoque mihi incolumitas est restituta. De qua re & tibi gratulor & mihi gaudeo, Deumq; supplex oro, vt te in optimo statu diutissimè valere iubeat.*

*Accepi litteras tuas, quas N. ad me attulit, è quo cùm percunctatus essem de te ea quæ volebã, atq; is mihi omnia læta respõdisset, alacriore animo conuersus sum ad lectionem litterarũ: in quibus recognoui animum tuũ pristinum erga me, & plenam beneuolentiæ atque humanitatis voluntatẽ, qua mihi nihil accidere solet optatius.*

*Iucundissimæ mihi fuerunt tuæ litteræ, idq́ue ipsum sanè multis de causis. Primùm quòd tuæ, hoc est, etc. Deinde quòd mirificam quandam tuæ erga me voluntatis significationem habebãt: Adde etiam quod perbellè scriptæ spem mihi affirmarunt nõ dubiam, talem te aliquando fore, qualem ego te, vel ingenio vel diligentia tua fretus, multis futurum prædicassem.*

*Ex litteris tuis, quæ me de tua apud Fanum mansione reliquisq; tuis rebus erudierunt, magnam cepi voluptatem, propterea quòd & ele-*

*gantes ipsæ sunt, neq; tantum Latinè sed etiam politè, atq; subtiliter scriptæ, & tuam erga me beneuolentiam, quam ego semper feci plurimi, magnoperè præ se ferunt. Itaq; nihil mihi potuit optatius accidere.*

*Maxima sum ex tuis litteris affectus voluptate, non eò solùm, quòd suauissime atq; honorificè scriptæ, magnam tuæ erga me obseruantiæ significationem haberent, (quamquam id ipsum mihi, pro eò sanè ac debuit fuit gratissimum) sed quod ea verborum puritate atq; elegantia essent bellissimè contextæ, vt meam de studiorum tuorum cursu, opinionem planè confirmarent, atq; haud scio an etiam vincerent.*

*Gratissimæ mihi fuerunt litteræ tuæ, quæ & veteris nostræ amicitiæ memoriam mihi renouarunt, & declararunt in te non parum adhuc amoris erga me ipsum residere: Quo mihi nil optatius. neq; iucundius accidere potuit, tibiq; hoc de me esse persuasum volo si quem mihi aliquando locum tibi gratificandi dederis, magno me abs te affectum beneficio esse arbitraturum: Tu vt valeas, & me diligas magnopere abs te peto.*

*Ego nullius litteris æquè delector ac tuis, ex quibus multiplicem capio tum fructum, tum voluptatem: Primum, siue mecum litigas, siue rides, siue lacessis, discedo doctior. Nihil enim abs te proficiscitur adeò neglectum, quod aliorum quantalibet cura possit æquare. Deinde tuus iste sermonis torrens, meam expergefacit somnolentiam: tuus ardor meum frigus acuit: tua copia nusquam non exuberans ieiunam exilitatem meam emendat, atq; castigat.*

Exordia

Exordia cùm quempiam accuſamus de litterarum raritate.

*Video te occupatiſsimum eſſe, qui ad quaternas meas litteras non reſponderis.*

*Sæculum mihi exiſſe videtur humaniſſ. N. quòd nihil abs te redditur*

*Doleo tibi chartam deeſſe, ſi eius inopia ad me & rariùs ſcribas & breuius.*

*Miror te ad me nihil ſcribere, & potiùs ab aliis quàm à te de Rep. certiorem me fieri.*

*Quod tam diu nihil ad me ſcribas, mi N. non iraſcor tibi: iraſcerer tamen ſi fas eſſe crederē.*

*Tu ad nos & rariùs ſcribis, quàm ſolebas, & breuius: credo quia nihil habes, quod me putes libenter legere.*

*Iam diu litteras abs te nullas accipio: ſed ego in te voluntatem erga me ſummam & ſingularem ſpecto, non epiſtolas.*

*Tu licet mutus ſis ego tamen non deſinam frequentibus tibi epiſtolis obſtrepere, & te amabo, ſi me contempſeris etiam.*

*Demiror te iam diu nihil ſcribere, neq; enim opinor, te ſic occupatum, vt non vacarit, neque tam fortunæ ſucceſſu elatum, vt veteres congerrones faſtidias.*

*Vide quid me cogitare velis: tanto in deſiderio à te litterarum, fac igitur quàm primùm ſcribas, niſi quid me voles ſuſpicari, atq; vtinam fallantur ſuſpiciones noſtræ.*

*Exſpectanti mihi abs te quotidie litterarum aliquid, ſæculum penè præteriit, & multa ad te*

*scribendi occasiones è manibus elapsæ, dum aliquid semper puto recepturum, cui responderem.*

*Puto te iam suppudere, cùm hæc te tertia iam epistola anteà oppressit, quàm tu schedulam aut litterulas: Sed non vrgeo, longiores enim expectabo, vel abs te potius exigam.*

*Irascor, nec liquet mihi an debea, sed grauiter irascor, quòd à te tam diu litteræ nullæ: Exornare me potes vno modo, si nunc saltem plurimas & longissimas miseris: hæc mihi sola excusatio vera, ceteræ falsæ videbuntur.*

*Etsi magnam mihi putem fieri iniuriã, quòd tot epistolis prouocatus nihil responderis: humanius tamẽ esse duxi, peccare officio, quam silentio retaliare iniuriam: Audi igitur, optime N. in quo statu res meæ sint.*

*Iam pridem nullas abs te accipio litteras: ego verò binas ad te dedi eodem exemplo, de quibus nihil addubito, quin alteræ saltem, sint redditæ, quæ erant bene longæ, & multis de rebus, quas ipse, ni fallor, cupiebas cognoscere.*

*Nimis diu iam videor mihi à te litteras exspectare, quod si nihil habes, quod ad me scribere necesse sit, saltem inter nos mutuam veteremqúe beneuolentiam taciti conseruemus: Sin offensus es proximis meis litteris, quæ tecũ liberiores fuerunt, quæso te, concedas hoc naturæ ac libertati meæ.*

*Si Victorium meum non nossem, suspicarer me illi excidisse, quia non scribit: Nunc verò de tam cognito atq; explorato amico, tantùm metuo, nequid aliter agat, quàm velit, quia iam pri-*

*dem de*

*dem de illo nihil audio: est enim amor mirè meticulosus: Tu igitur scribe, quo mihi hunc timorem adimas.*

*Iampridem nihil abs te accipio, quod non contigit sine magna mea sollicitudine, non quòd exciderim tibi, minus enim est mihi abs te metuendum, sed ne incommodiore valetudine impediaris: tu si me amas, exime mihi hanc curam, seu anxietatem veriùs, si non crebris litteris, certè crebra salutatione, per eos, qui proficiscentes huc, te conuenerint: Potuisti enim intelligere, si modò satis rectè animi erga te mei affectum tibi declaraui, me non alia esse in te obseruantia, quàm in parentem: quoniam tu non minus me, quàm filium amare mihi visus es.*

Exordia cum nos excusamus de litterarum raritate.

*De litterarum intermissione, sine causa abs te accusor.*

*Nolim me putes obliuione tui, rariùs ad te scribere, quàm solebam.*

*Nec sæpè est, cui litteras demus, nec rem habemus vllam, quam scribere velimus.*

*Meas litteras, quod requiris, mi N. impedior inopia rerum, quas nullas habeo litteris dignas.*

*Ad te ideo rariùs scripsi, quòd non habebam idoneum, cui darem, nec satis sciebam, quid ad te scriberem.*

*Si quid haberem, quod ad te scriberem, facerem id, & pluribus verbis, & sæpius, Nunc quæ sunt negotia, vides,*

*S.P. Miraris amice, quòd non scripserim, mirari desine: iam scribo & si placet Laconicòs Laconico respondebis. Vale.*

*Non committam posthac, vt me accusare de epistolarum negligentia possis: tu modo videto in tanto otio, vt mihi par sis.*

*Quod nihil litterarum ad te dedi, non id quidem causa fuit, quòd scribendi argumento destituerer, quo planè abundabam, sed quòd, &c.*

*Nollem te existimare, aut negligentia fieri mea, aut obliuione nostræ veteris amicitiæ, vt raras ad te dem litteras, non enim ea causa fuit: sed quòd, &c.*

*Scripsissem perlibenter Reuerend. Cardinali: sed nec otium erat, nec argumentum, Nec ignoro quibus ille negotijs distringatur: Quare tu, &c.*

*Quod ad te, mi Bamelrodi, iam diu nihil dederim litterarũ, non tam meis, quàm tuis occupationibus multis & magnis, adscribas velim.*

*Vereor ne litterarum à me officium requiras, quas tibi & iam pridẽ & sæpè misissem, nisi quotidie lætiora, quæ ad te scriberem, exspectarem.*

*Non ausus sum dare ad te ante hac quidquã litterarum, quòd, cùm res non esset vlla digna, quæ scriberetur, inanem sermonem litterarum tibi iniucundum fore putaui.*

*Iam diu nihil litterarũ ad te dedi, quòd cùm non haberem ferme quid scriberem (quæcunque enim heic agerentur, ad te perscribi à tuis sciebam) nolui te inanibus litteris meis obtundere.*

*Tuum silentium tam diuturnum duobus nominibus mihimet excuso; vel quia non dantur*

per

*per quos scribas, vel quia totus es in sacris voluminibus, nec potes à semel gustato melle diuelli.*

*Segniorem me facit ad scribendũ, non obliuio tui, sed quòd me deterreant epistolarum vestigia omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum: Nunc neq; quid agas, neq; in quo mundo, verseris, scio.*

*Quod raras adhuc misi ad te litteras, scito rationem esse habitam à me occupationum tuarũ: hac enim sola impedior verecundia, ne te sæpius interpellem: quamobrem tu nobis aliquam debes gratiam.*

*Non obliuione mutuæ beneuolentiæ nostræ, rarius ad te do litteras, quàm forsitan vsus veteris nostræ coniunctionis postulet: sed pudore quodam id fit potius, quòd vereor, ne tuis grauioribus curis intempestiuiùs obstrepam.*

*Quòd pristinam meam scribendi consuetudinem intermissam miraris, nihil est quod suspiceris mali: neq; enim, quod semper fui, tui amantissimus esse vel desino, vel esse desinam, dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.*

*Peto à te, Murete vir humanissime, ne me putes obliuione tui rariùs ad te scribere, quàm solebam: sed aut grauitate valetudinis, qua tamẽ paullulũ videbar leuari, aut quod absim ab Vrbe, vt qui ad te proficiscantur, scire non possim.*

*Cùm longo locorũ interuallo disiuncti simus, per litteras tecũ quàm sæpissimè colloquar: quod si rariùs fiet, quàm tu exspectabis, id erit caussæ, quòd non eius generis meæ sunt litteræ, vt eas audeam cuiuis temerè committere.*

*Diu est, quòd destitimus inter nos missitare litteras, neq; enim inueterata amicitia tanta coniunctio talem operam vllam aut oblectamentū requirebat, nec fuere alia, de quibus esset opus alterum nostrum ab altero certiorem fieri.*

*Cùm me vides præter institutum meum litteras ad te non tam sæpè, quàm solebam mittere, nimirum etiam me tacente, quàm sim occupatus, intelligis. Ternas te dedisse scribis, omnes accepi. Nihil amabilius, nihil etiam elegantius.*

*Si fortè rariùs tibi à me, quàm à ceteris litteræ redduntur: peto à te, vt id non modò negligentiæ, sed nec occupationi quidem tribuas: quæ etsi summa est, tamen nulla esse tanta potest, vt interrumpat iter amoris nostri & officij mei.*

*Etsi pudet me post diuturnam cessationem nunc ad te scribere, tamen non dubito, quin pro tua in amore constantia, meæ, si qua fuit, negligentiæ, benignus interpres sit futurus, præsertim cùm nihil esset priuati, quod scriberem? Publica verò omnia, copiosè ab alijs ad te perscribi non ignorarem.*

*Longum interuallum est, cùm litteras ad te dedi nullas, quod accidit, non remissione obseruantiæ in te meæ, nec obliuione virtutis, humanitatis, & beneuolentiæ erga me tuæ: sed quia multis & molestis occupationibus impeditus, alia quoq; officia permulta deserere coactus sum.*

*Diu est, quòd nihil ad te dedi litterarum, nō obliuione amicitiæ nostræ, sed quòd, cùm nihil haberem quod scriberem tua lectione dignum, nullas volui potiùs, quàm inanes esse, meas litteras.*

*ras: Nunc verò, cùm ſe mihi occaſio, & prope, dicam, neceſſitas quædam obtulerit ſcribendi ad te, libenter hac opportunitate vſus ſum.*

*Multis iam menſibus nihil ad te litterarum dedi, Nec mihi tamen venit in mentem ſubuereri, ne quam tibi noſtra indignam amicitia ſuſpicionem ſilentij mei diuturnitas attulerit. Mihi quidem nihil ſcito eſſe iucundius epiſtolis tuis: quas cùm lego, delector mirificè amore in me tuo: delector etiam ingenio, & ſcribendi elegantia.*

*Ego ad te rariùs ſolito do litteras, quòd non dubitem te, & negotijs occupatum, & grauitate valetudinis defeſſum, minus libenter ad exercitium hoc ſcribendi epiſtolas venire, ſed nec amicitia noſtra fulcimentis illis indiget, quibus vulgares permultæ: Rogo te etiam atq; etiam, vt poſt hac, quoties mihi ſcribes, quemadmodum & corpore & animo ſis affectus, paucis verbis ſignifices.*

Exordia quibus ſe quis purget de longiore ſilentio.

*Quòd tam longo temporis interuallo nihil ad te dederim litterarum, excuſationem accipe, non peccati, ſed ſilentij. Pudet quidem me tam diu nihil tibi ſcripſiſſe: ſed profectò ſi ſcias quantis heic diſtineor occupationibus, facilè habeas ſilentio meo veniam.*

*Epiſtolis tuis equidem ſum abs te laceſſitus ad ſcribendum: ſed iccirco ſum tardior, quòd nõ inueniam fidelem tabellarium.*

*Quòd tanto interuallo nihil ad vos scripserim, profectò intelligis rem mihi deesse, de qua scribam, non voluntatem.*

*Quòd tanto temporis interuallo, nihil ad te dederim litterarum, nec veteris meæ erga te obseruantiæ beneuolētiæq́; memoriam renouarim, non mea negligentia, neq; adeò obliuione mutui nostri amoris sed potiùs pudore quodam accidit.*

*Puto tibi molestum iam esse silentium meum: at mihi silentij causa longè molestior: nam toto ferè biennio, neque corpori valetudo, nec animo qui es contigit: ita qui absentes amicos, litteris saltem colere consueui, iucundissimam mihi consuetudinem intermittere, & in officij cursu languere sum coactus, quòd si tibi fidem mea non facit affirmatio, testes habeo, &c. Hanc excusationem probari à te cupio, nec omninò despero.*

*Quòd epistolæ tuæ non responderim, mi N. non voluntas in causa fuit, quæ est erga te, vt potuisti cognoscere, profectò summa: sed valetudo aduersa mea, quæ per ingentes dolores tum corporis, tum animi vires valde afflixit. Neq; nunc scriberem, nisi vererer, ne quid tu de immutata mea erga te voluntate secus suspicarere, quam res habet, & ego vellem. Cupio enim vt intelligas, me in ratione ista amicitiæ paria tecũ facere, & tantopere amantem non mediocriter redamare.*

*Iam diu est, cùm ego ad te nihil litterarum dedi, quod accidit non obliuione tui mea, neque pigritia aut negligentia nostra, sed quod ipse meis occupationibus impeditus dubitans de tuis,*

*veritus sum ne mea sedulitas forsitan tibi molesta esset, si te à grauioribus & sanctioribus curis inanium lectione litterarum auocasset, & si inanes epistolæ nunquam esse solent, quæ vt aliud nihil afferant, testes tamen sunt amoris & conseruatæ optimæ voluntatis. Verum hoc testimonium neq;, vt ego arbitror, tu à me desideras, neque ego abs te requiro: satis enim nostra vetus constansq; amicitia testimonij vtrique nostrum habet, esse nos inter nos, quales esse debemus, amicissimo animo videlicet & cõstantissima voluntate coniunctos.*

Exordia cùm seriùs alicui respondemus.

*Noli mirari, si tuis sanè iucundis mihi, & suauibus litteris, serius respondi, quam æquum fuit.*

*Occupationibus factum est meis, mi N. vt nihil hactenus binis tuis litteris responderim.*

*Non est quod succenseas nobis, si aliquanto tardiores fuerimus in scribendo: multa fuere impedimento.*

*Distuli tuis respondere litteris, quod existimaui fore, vt præsens præsentem amplecterer Louanij, vel Coloniæ.*

*Scripturus eram ad te, nam ita decreueram, mi N. verùm interuenere nescio quæ, quæ mihi hoc propositum excuterent.*

*Litteras tuas accepi, tabellarium, cui dederas, non vidi: si statim non responderim, omnem in illum culpam refundendam putato.*

*Tuis lutteris mense Ianuario ex Vrbe datis, quòd adhuc non responderim, iusta hæc apud te erit excusatio, quòd minùs commodè valui.*

*Non licuit mihi id, quod vehementer optaui, aut celeriùs aut vberiùs ad te scribere, quòd aduersa valetudine mensem ampliùs afflictatus, in hunc vsque diem conualescere adhuc omnino non potui.*

*Miraberis & quidem nō iniuria, responsum à me litteris tuis multò seriùs, quam tu fortasse desiderabas, & ipsæ litteræ tuæ meritò postulabant. Id cur ita euenerit, paucis accipe. Iturus erat istuc Rolandus noster, &c.*

*Epistolæ tuæ, quæ mirificam mihi attulit voluptatem, nondum respondi, occupatus nihil agendo, & ita assuefactus desidiæ, vt qui olim ad omnia solebam mihi otium facere, ipse nunc negotijs negotia opponam, ficta vtiq;, & opinione animi mei simulata, vt vera ac seria excludam.*

*Noli admirari, si & mea & tua expectatione serius hasce dedi ad tuas amicissimè atq; humanissimè scriptas litteras: morbo impeditus satis facere officio non potui, quo tamen leuari iam videor: Itaque, vt primùm facultatem nactus sum, non commisi, vt diutius desiderares à me hoc officium.*

*Vulgare est, vt, qui seriùs paullò ad amicorum litteras respondeant, nimias occupationes suas excusent: ego verò quò minus maturè rescripserim, non tam culpam confero in occupationes (quamquam ne ipsæ quidem defuerunt) quàm in acerbissimum potiùs hunc dolorem,*

quem

*quem mihi patrui mei obitus attulit.*

*Allatæ sunt mihi tuæ litteræ, aliquanto serius, quàm dierum ratio postulabat: quibus in litteris facilè & amorem tuum erga me, & memoriam veteris nostræ consuetudinis recognoui: Sed quò minus ad eas tum celeriter responderim, publica hæc negotia, quæ nos heic anxios & sollicitos habent, aliquandiu retardarunt.*

*Accipio tuam de intermissione litterarum excusationem: sed ea demum lege, vt me tib eodē nomine purgatum esse velis: neq; enim vlla negligentia mihi officio defuisse videor, qui quod scriberem nihil planè haberem: Tum verò vel te, vel à te aliquid, vnde mihi scribendi argumentum nasceretur, in dies singu'os exspectarē.*

*Etsi ratio officij mei postulabat, vt post tuum à nobis discessum crebras ad te litteras darem, quibus & de rebus publicis, & de priuato rerum statu fieres certior, nescio tamen, quo pacto factum esse dicam, vt cum dies nullus esset, quò nō id facere cogitarem, omnes tamen re, vt ita dicam, infecta elaberentur. Cùm verò tandem me diutur ni silentij suppuderet. constituissemq; omnino in posterum eiusmodi negligentiæ maculam epistolarum frequentia delere, repentè redditus est mihi à te fasciculus.*

Exordia cum nos purgamus de litterarum breuitate.

*Ad litteras tuas mihi longè gratissimas tribus verbis respondebo, velut occupatissimus.*

*Pluribus tecum verbis agere non licet, ita multis*

*multis distrahor, vnum hoc, Hubertinus noster.*

*Copiosissimam ad te scribere epistolam gestiebat animus, ni & otium deesset, & propediem vos ipse visere decreuissem.*

*Tam multum est quod scribam vt nec initiū inueniam nec exitum propter hanc dubitationē meam breuior hæc est epistola.*

*Vereor ne putidum sit, scribere ad te, quàm sim occupatus: sed tamen ita distinebar, vt vix huic tantulæ epistolæ tempus habuerim, atque id ereptum e summis occupationibus.*

*Nihil vnquam accidit mihi, mi D. Lecui, tuis litteris mellitius: ad quas, si breuiter respondeo, facilè tu quidem ignosces, si scias quantis studiorum laboribus pæne confectus sim à quibus simul atq; dabitur otium scribam epistolas alias super alias.*

*Exspectanti mihi quotidie à te litteras N. noster subitò denuntiauit, vt ad te scriberem si quid vellem: Ego verò & si quid scriberem non habebam, inanem autem sermonem litterarum tibi iniucundum esse audiebām, breuitatem secutus sum te magistro.*

*Nimium rarò nobis abs te litteræ adferuntur, cum & multò tu faciliùs reperias, qui Romam proficiscantur, quàm ego qui Athenas, & certius tibi sit, me esse Romæ quàm mihi te Athenis: Itaq; propter hanc dubitationem meam, breuior hæc epistola est, quòd cùm incertus essem, nolebā illum nostrum familiarem sermonem in alienas manus deuenire.*

*Scio me frequenter ad te scripsisse, doctissime atque*

*atque humanissime Stanislae, sed ita Laconicè, vt tibi videar non scripsisse, ita cogit studiorum moles, quibus obruor. Nam si rationem ineas, quid dandum sit pietatis officijs, quid somno, quid valetudini, quid scribendis r. cognoscendis que libris, facilè colliges, quantulū supersit temporis, quod epistolis scribendis impertiri possim.*

*Quòd non perinde ac debebam, tuis eruditissimis litteris responderim, velim æstimes nulla id mea negligentia factum esse sed occupationibus his, quibus necessariò distineor in maximo, vt scis, munere perfungendo: quo fit, vt frequenter, &c. eam ob rem ignosces & cunctationi, & breuitati mearum litterarum, quando ijsdem de caussis, quibus in hanc deueni tarditatem adhuc impedior, ne longior sim: iam verò illud, quod abs te rogatus sum, faciam sedulò ac perlibenter.*

Exordia cum nostram in amicum beneuolentiam contestamur.

*Miram sanè rem, & tibi, vt opinor, auditu incundissimam, non potui non ad te perscribere.*

*Nunquam futurum putassem, vt omnino mihi verba deessent, quibus tibi gratias agerem: sed nunc, vt video, desunt: nec facilè reperio, vir humaniss. qua verborum forma tibi explicem, quantum tibi debere velim: quandò tu vir ista auctoritate & præstantia tantum laboris mea caussa adieris.*

*Deerat omnino quod scriberem, & inanite*

*Epistola interpellare nolebam: mihi tamen illud est grauissimum, vt existimes, nullis adhuc meis litteris meum in te animum atq; amorē satis esse testatum: tantus enim est, vt de illo magis ex te ipso & suauitate ingenij, quàm ex oratione & infantia mea iudicare te velim.*

*Cùm neq; haberem, quod tua magnopere interesset à me scribi, & te scirem summis occupationibus assiduè districtum, tamen faciendum mihi putaui, vt aliquid omninò ad te litterarū darem: Ad meum enim officium valdè pertinet, te de nobis optimè meritum intelligere, & quo te studio colam, & qua tuorum in me meritorum memoriam religione conseruem, quod vt spero, consequar litterarū bono: Nam vt remunerari vnquam possim, sperare vix audeo.*

*Quoniam iam annum ferè à nobis abes, quid quid heic interim nouorum est ortum, puto & me tibi debere scribere, & te scire vehementer cupere: Audies igitur ex me noua quidem per multa, haud omnia læta tamen: Non ignoras rerum mortalium conditionem: Nihil tam beatū in humanis negotijs, quod non aliqua incommoditate temperetur. Patruus tuus, &c.*

Exordia petendi quippiam ab amico.

*Singularis tua humanitas mihi hanc fiduciā ministrat, vt tametsi nihil promeritus, audeam tamen tuum officium liberè requirere.*

*Cùm & mihi conscius essem, quanti te facerem, & tuam erga me beneuolentiam expertus essem, non dubitaui à te petere, vt, &c.*

*Vide*

*Vide quæso, quam sit insigni impudētia tuus Nizolius, nunquā illi Riccius in mentem venit, nisi cùm eget: Opus est mihi, ad pauculos dies Aristotele de Præceptis Rhetorices.*

*Nisi certò cognoscam, tuam non solùm ergà me summā, verùm etiam in omnes, tametsi alienos, bonarum litterarum studiosos non vulgarem beneuolentiam, vererer profectò, mi N. in alieno præsertim negotio studiorum tuorū tranquillitatem temerè appellare: verùm cùm sciā, quàm non illibenter pro amicitia subinde renouanda ab amicis tuis sollici teris, audacter te paucula pro amiculo sollicitaturus accedo.*

Exordia agendi alicui gratias.

*Gratum erat tuum munusculum: gratior epistola tam amica, gratissimus amicus.*

*Iam non ago tibi gratias: cui enim re vix referre possim, huic verbis non patiatur res satisfieri.*

*Immortales tibi ago gratias, agamq́, dum viuam. Nam relaturū me affirmare non possim: tantis enim tuis officiis non videor mihi respondere posse, nisi fortè ita sensurus es, vt me referre gratiam putes, cum memoria tenebo. Miraris, scio, quid sit, quod cùm doctissimam epistolam, cum magnifico munere ad me dederis, nihil ad te scripserim, vt ex nostris saltem litteris cognosceres, quam gratę ob ea, quæ fecisti, essem inte animo. Sed tu quid miraris? defuerunt, si nescis, mihi verba, quibus tibi meritas agerem*

*gratias, atq; hodie desunt. Præstat tibi animus quod potest, gratam omnium tuorum in me beneficiorum memoriam, vultq; tibi debere quàm maximè.*

Exordia cum amicum consolamur.

*Optimi patris tui mortẽ, ut doleo vehementer, ita omninò felicem existimo, qui sic obierit, quando hac sorte nascimur omnes, nihilq; diuturnũ in rebus humanis, nedum perpetuum.*

*De patris obitu consolarer te, vir ornatissime, ni persuasum haberẽ ægritudinem istam, quam in alijs lenit adimitq; tempus ipsum, in te singulari tua prudentia esse sopitam.*

*Audio te morbo decubuisse: sed neq; morbi causam, neque genus intelligo. Tu si potes de his ad me scribito, & fac, ut sciam quid me facere velis. Nam si pecunia opus est, siue domesticorum ministerio, vtrumq; tibi præsto erit: Quin & ipse istuc aduolabo, si mea præsentia tibi vtilis esse potest. Vale, ac quantum potes, teipsum cura.*

Exordia cum quid amico nuntiamus.

*Quo in statu heic omnes simus, accipe.*

*Quid heic geratur, scire poteris ex eo, qui litteras attulit.*

*Mitto librum, quem desiderabas: seriùs tamen quàm & tu voluisti, & ego debebam. Ita, mi. N. distringor occupationibus, ut neq; interspirandi sit locus.*

Coràm

*Coràm me tecum eadem hæc agere ſæpè conantem deterruit pudor quidam pæne ſubruſticus, quæ nunc exponam abſens audacius: epiſtola enim non erubeſcit.*

*Dedi Louanio diſcedens litteras M.N.N. communi amico, quas tibi redderet: quibus litteris epiſtolæ tuæ paucis, vt tum ferebat tempus, & feſtinatio mea patiebatur, reſpondi.*

*Ornatiſſime vir, nihil erat hoc tempore magnoperè dignum, de quo celſitudinem tuam interpellarem: ſed ad ſcribendum inuitauit opportunitas tabellarij tum certi, tum huc mox reuerſuri.*

Exordium ſcripturi ad ignotum.

*Quod ignotus ignotum meis litteris inexſpectatis interpellare ſim auſus, vir optime, nō tam debes improbitatem accuſare meam, quàm beneuolentiam.*

Exordium ignoto reſponſuri.

*Boni conſulam audaciam tuam, vir humaniſſime, qui ignotus ad ignotum ſcripſeris, ſi tu viciſſim boni conſulueris, quòd occupatiſſimus tam parcè reſpondeo, vt pæne nihil reſpondeam.*

# LIBRI V.
## Schematismus.
## Elegantiores Phrases, quæ Epistolas scripturis frequenter sunt vsui.



Epistola

Epiſtola, & ad eam ſpectantes Phraſes.

*Epiſtola, & hinc Epiſtolium diminutiuũ.*
*Litteræ, arum: hinc diminutiuũ Litterulæ.*
*Epiſtolæ eodem argumento, &c.*

*Litteræ aliquot eodem exemplo dicuntur, quæ de eadem tractant materia. Barbari dicũt eodem tenore*

*Epiſtola elegans & multũ humanitatis præ ſe ferens.*

*Elucubrare Epiſtolam, ſcribere, conſcribere, exarare litteras.*

*Scindere, conſcindere, concerpere, lacerare Epiſtolam.*

*Interijt, intercepta eſt epiſtola.*

*Reſcribere vel reſpondere litteris, vel ad litteras.*

*Complicare litteras, vel Epiſtolam.*

*Obſignare vel conſignare epiſtolam, vulgò claudere.*

*Obſignare litteras publico ſigno, Cicero.*

*Reſignare, vel recludere litteras, hoc eſt, aperire.*

*Inſcribere alicui Epiſtolam, vulgò, Scribere ſuperſcriptionem.*

*Deferre, perferre ad aliquem litteras.*

*Hanc Epiſtolam velim reddendam cures, cui inſcripta eſt.*

*Faſciculum hunc Spieringo inſcriptum, ad ipſum fac cures perferendum.*

*Hunc litterarum faſciculum velim cures ad Poelgheeſtium deferendum.*

*Exemplum epistolæ, vulgò copia.*

*Mittere alicui exemplum litterarum.*

*Velim mihi huius epistolæ describi exemplum vulgò dari copiam.*

*Dare alicui epistolam describendam.*

*Tabellarius, Tabellio, Græcè grammatophorus, qui litteras perfert.*

*Litteræ elegantes, bellæ facetæ, iucundæ, suaues, humanæ gratæ, amabiles, exspectatæ.*

*Litteræ amicè amanter, amantissimè, beneuole, humanissimè. suauissimè, vel honorificentissimè scriptæ.*

*Litteræ inanes superuacaneæ.*

*Epistola recens, epistola peruetus.*

*Accepi abs te litteras, quæ mihi significabãt, indicabant, &c.*

*Redditæ sunt mihi abs te litteræ, quibus, vel ex quibus intellexi, perspexi, animaduerti, didici, cognoui, recognoui.*

*Quibus me facis certiorem, significas, declaras, ad me scribis, erat scriptum, perscripsisti.*

*Quibus sum factus certior, quibus lectis cognoui, &c.*

*A me cum plus otij nactus ero, vberiores litteras exspectato.*

*Tres vno die à te accepi epistolas, vnam breuem, duas vberiores.*

*Litteras tuas exspecto valdè, vehementer, auidè, maximè, mirificè, suspenso animo, easq́; multis de rebus.*

*Quamquam iam te ipsum exspecto, tamen*

*isti puero da ponderosam aliquam epistolam.*

*Te ipsum scilicet maximè, tamen etiam tuas litteras anteà exspecto.*

*Fac vt sciam, Tu fac sciam, Fac planè sciã, Vt sciam cura.*

*Fac me statim, celeriter certiorem.*

*Vt celeriter sciam, da operam.*

*Certior factus sim litteris, nuntijs, fama.*

*Cætera cognosces, audies, ab vel ex alijs.*

*Nolo te ignorare, Hoc te scire volui.*

*Hoc quidquid est, Hoc qualecumq; esset, te scire volui*

*Non te præterit, Non te fugit, Non ignoras.*

*Iam diu ignoro, incertus sum quid agas.*

*Memini, Memoria teneo.*

*Credo te memoria tenere, meminisse te credo.*

*Lacessere, Prouocare aliquem scripto.*

*Dictaui hanc ad te epistolam, Scripsi hanc manu librarij.*

*Occupationum mearum tibi signum sit manus librarij.*

*Tu ad omnia rescribes, Rescribe quã primũ.*

*Velim mihi ad omnia rescribas.*

*Velim sic statuas, tuas mihi litteras longissimas quasque gratissimas fore:*

*Breues litteræ tuæ, breues dico? immo nullæ, tribus ne versiculis his temporibus Brutus ad me? nihil scripsissem potius.*

Epistola nobis iucunda & accepta.

*Oblectauit me tua Epistola.*

*Delectarunt me multum tuæ litteræ.*

*Vehementer tuis litteris sum delectatus.*
*Litteræ tuæ incredibiliter me delectarunt.*
*Incredibile est, quantum me litteræ tuæ delectarunt.*
*Incredibilem mihi læticiam attulerunt litteræ tuæ.*
*Ex litteris tuis cepi fructum multiplicem.*
*Magnam ex epistola tua cepi voluptatem.*
*Ex tuis litteris cepi incredibilem voluptatẽ.*
*Maximam læticiam cepi ex tuis litteris.*
*Gratæ mihi fuerunt litteræ tuæ.*
*Gratissimæ mihi tuæ litteræ fuerunt.*
*Litteræ tuæ mirabiliter gratæ sunt.*
*Gratæ mihi vehementer tuæ litteræ fuerunt.*
*Epistola tua, litteræ tuæ fuerunt mihi gratissimæ.*
*Nihil mihi esse potuit tuis litteris gratius.*
*Caue putes vllas mihi litteras gratiores, quàm tuas.*
*Tuæ litteræ mihi gratæ iucundæq; sunt.*
*Periucundæ mihi fuerunt tuæ litteræ, quibus intellexi*
*O gratas tuas mihi iucundasq; litteras.*
*O litteras omni suauitate refertissimas.*
*O verè suaues bellas & elegãtes tuas litteras.*
*Nihil iucundius tuis litteris, nihil amabilius.*
*Libentissimè legi litteras tuas, in quibus, etc.*
*Litteræ tuæ, si quando aliàs, nunc me maximè oblectarunt.*
*Litteræ tuæ tantò fuerunt gratiores, quantò diutius desideratæ.*

*Summæ*

*Summa me voluptate tuæ litteræ affecerunt, perfuderunt, extulerunt.*

*Litteræ tuæ summam voluptatem, læticiam, gaudium, iucunditatem attulerunt.*

Raro scribendi formulæ

*Raro ad me scribis.*

*Minus sæpe ad me scribis.*

*Raras abs te accipio litteras,*

*Miror te ad me tam raro scribere.*

*Crebriores abs te litteras postulo.*

*Crebrius vellem ad me scriberes.*

*Abs te iam diu nihil accipio litterarum,*

*Infrequens es in officio scribendi.*

*Nimium raro nobis abs te litteræ adferũtur.*

*Non satisfacis officio tuo crebritate litterarũ.*

*Officium litterarum abs te requiro, in te desidero.*

*Es ad scribendum cunctantior, atque etiam plane cessator.*

*R. Iccirco sum tardior, quod non inueni fidelem tabellarium.*

*Ad te ideo rarius scribo, quod non habeam idoneum, cui litteras committam.*

*Plura habeo, quæ ad te velim scribere: sed ea sunt huiusmodi, vt non audeam committere litteris.*

Formulæ ad varia respondendi.

*Rescribo tibi subiratus.*

*Rescribam tibi ad ea, quæ quæris.*

*Ego, tuis proximis, nihil habeo, quod rescribam.*

*Superiori epistolæ tuæ nihil est quod respondeam.*

*Perturbato animo, non potui, vt consueueram, rescribere.*

*Faciendum mihi putaui, vt litteris tuis ordine responderem.*

*Quòd postremum fuit in epistola tua, quam à te proximè accepi, ad id primùm respondebo.*

*Quòd scribis te bellè valere, vehementer gaudeo.*

*Quòd scribis te velle scire totius nostræ familiæ statum, en accipe.*

Formulæ admonendi aliquem vt sæpius scribat.

*Velim quàm sæpissimè mecum per litteras colloquare.*

*Crebris nos litteris appellato, quibus omni de re me erudias.*

*Si quid erit quod intersit me scire, perscribe ad me, sed diligenter.*

*Quid futurum existimes, ad me perscribas velim.*

*Crebris nos litteris appellato.*

*Absentiã nostram crebris litteris sarciamus.*

*Tu quæso crebrò ad me scribe, vel quod in buccam venerit.*

*Tu velim ad nos sæpè scribas: si rem nullam habebis vel quod in buccam venerit scribito.*

*Tu mihi, etiam si nihil erit quod scribas, tamen id ipsum scribas velim, dum modò ne his verbis.* Tu

*Tu velim & quid agas, & quid acturum te putes, facias me quàm diligentissimè certiorem.*

*Tu etiam atque etiam cura vt valeas, litteras que ad me mittas, quotiescumque habebis cui des.*

*Velim quàm sæpissimè mecum per litteras colloquare, etiam si rem, de qua scribas, non habebis.*

*Velim diligentiùs omnia, quæ putaris me scire opus esse, perscribas.*

*Quoties habebis cui des ad me litteras, nolim prætermittas.*

*Fac sciam quid agas, quod sine sollicitudine summa nescire non possum.*

*Scribe ad me quid agas, & à nobis quid fieri, aut curari velis.*

*Facito nos statim quid constitueris, & quid agas si tibi videbitur, certiores.*

*Cùm primùm de rebus Gallicis explorati aliquid habueris facito nos statim certiores.*

*Cùm in primis tuas litteras desiderem, noli committere, vt excusatione potius expleas officium scribendi, quàm assiduitate litterarum.*

Formulæ petendi aliquid.

*Peto quæso, Peto oro, Peto contendo.*
*Rogo oro, Rogo obsecro, Oro obsecro.*
*Oro obtestor, Obtestor obsecro.*
*Hoc abs te peto, & summè contendo.*
*Illud à te magnopere peto, contendoque.*
*Illud vnum à te vehementer contendo.*
*Hoc abs te peto, & pluribus verbis rogo.*

*Sic à te peto, quasi in eo mihi sint omnia. ut, &c.*

*Singulari studio abs te contendo, ut nihil umquam magis.*

*Vehementer, valdè, & magnoperè, etiam atq; etiam.*

*Maiorem in modum, Singulari studio, Quam possum studiosissimè.*

*Valde hoc ex animo à te contendo.*

*Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo, ut, &c.*

*A te etiam atq; etiã maiorẽ in modũ peto.*

*Hoc à te si pateris gratia cõtẽdo, ut, &c.*

*Pro amicitia nostra, pro nostra coniunctione hoc à te peto.*

*Pro amicitiæ nostræ fiducia peto à te.*

*Pro tuo perpetuo in me studio à te peto.*

*Peto à te amicitiæ nostræ nomine, quã confido apud te plurimùm posse.*

*A te magnoperè pro nostra summa coniunctione, tuaq; singulari humanitate etiam atque etiam peto & quæso, ut, &c.*

*A te hoc omni contentione peto, sic ut maiori cura petere non possim, ut, &c.*

*Cùm me non fugiat, quanta sit auctoritas tua, peto à te pro nostra consuetudine coniunctissima, ut, &c.*

*Cùm & mihi conscius essem, quanti te facerem, & tuam erga me beneuolentiam expertus essem, non dubitaui à te petere:*

*Te etiam atq; etiam pro summa nostra coniunctione*

*iunctione, proq; tua in me perpetua & magna beneuolentia maiorem in modum peto atq; contendo.*

*Peto, ut cures, ut enitare, contendasque.*

*Ut perficias, ut in hac re elabores, ut hoc negotium suscipias,*

*Ut dignitati meæ suffrageris.*

*Ut rationem habere velis salutis & dignitatis meæ.*

*Ut aliquid impertias temporis huic cogitationi ac studio.*

Formulæ rogandi.

*Rogo, oro, obsecro.*
*Rogo te & etiam oro.*
*Illud te præcipuè rogo, & obtestor.*
*Pro amore nostro.*
*Amoris nostri caussa.*
*Pro nostra amicitia.*
*Amicitiæ nostræ nomine.*
*Pro iure nostræ amicitiæ.*
*Pro nostra inueterata amicitia.*
*Pro nostra summa coniunctione.*
*Pro nostra summa necessitudine.*
*Pro nostra coniunctißima necessitudine.*
*Pro vetere coniunctione & necessitudine.*
*Pro coniunctione & beneuolentia nostra.*
*Pro pari inter nos & mutua beneuolentia.*
*Pro summa mea in te beneuolentia.*
*Pro tua incredibili in me beneuolentia.*
*Pro tuo perpetuo in me studio, meoq; item in te singulari.* *Impe-*

*Impedior verecundia, ne verbis pluribus te rogem.*

*Per omnem amorem, quo me complecteris, rogo.*

*Te, tuosq́ue qui tibi consilio adsunt, oro atq; obsecro.*

*Ne me rogantem suppliciter, à te reÿcias.*

*Noli pati meas esse irritas & inanes preces.*

*Sit apud te, rogo et obtestor meis precib. locus.*

*Hoc à te ita postulo, peto, contendo, vt fortunas in eo meas positas putem.*

*Velim existimes, quod à te peto, id eiusmodi esse, vt meæ fortunæ omnes agantur, in eo consistant, locatæ, positæ, constitutæ sint.*

*Rogo te quàm studiosè possim, da mihi hoc, largire, sine me hoc à te impetrare.*

*Hoc in me cōfer gratiæ, hoc impertias gratiæ.*

*Maiorem in modum te rogo, mi Assendelphe, si quid istic exstiterit noui, cures vt quam primum sciam.*

Formulæ deferendi alicui suam operam, vel studium.

*Studiosè diligènterq; curabo.*

*Summo studio, diligentiaq́; curabo.*

*Omni ope, atq; opera enitar.*

*Omni mea cura, atq́; opera prouidebo.*

*Tuum negotiū agam, sicut debeo, diligenter.*

*Mandatum tuū, mandata tua curabo, persequar diligenter.*

*Si quid est in quo tibi possim gratificari, nihil sum recusaturus.*

*Non sum defuturus officio meo, sicubi queã tibi esse commodo.*

*A me tibi liberisq́ tuis omnia paratissima esse confidas velim.*

*Quæ te velle arbitrabor, facturus sum omnia cum studiosè, tum libenter.*

*Si quid erit, in quo queam tibi gratum facere, facito periculum, an ex animo te diligam.*

*Animum ad quiduis obsequij peomptissimũ polliceor, neq́ in hac re solùm, sed in omnibus, in quibus desiderabis amici officium.*

*Polliceor tibi studium meum & operam, sine vlla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis.*

*Illud caue dubites, Tu velim certò confidas, Tu velim ita tibi persuadeas, De me sic velim iudices, me tibi semper præsto futurum, me tibi nulla re vnquam defuturum.*

*Mihi tu, tui, omnia tua maximæ curæ sunt, & dum viuam erunt.*

*Tu si quid ad me fortè scripseris, perficiam, ne te frustra scripsisse arbitrere.*

*De me sic velim iudices, quantum ego possim, me tibi, saluti tuæ, liberisq́ tuis summo cum studio semper præsto futurum.*

*Singula persequi non est necesse: vniuersum studium meum, & beneuolentiam ad te defero.*

Formulæ promittendi, superioribus non ab similes.

***Promitto, Polliceor, Recipio.***

*Fidem*

*Fidem do, Fidem meam tibi obligo.*

*Promissum facio, Omne meum studium tibi promitto.*

*Nequeo tibi polliceri, non possum tibi certum promittere.*

*Non ausim tibi id affirmare.*

*Ultrò, sponte, non rogatus pollicetur omnia.*

*Illius promissa huc me induxerunt, vt, &c.*

*Huc eius promissis adductus sum, vt, &c.*

*Huc me suis magnificis promissis impulit.*

*Magnificè quidem pollicetur: sed nihil, aut parum præstat.*

*Quidquid valeo, tibi valeo, si quid valebo, valebo tibi.*

*Commodis tuis polliceor me nunquam defuturum.*

*Nulla tibi in re beneuolentia mea deerit, præsto non erit.*

*Ego meam operam tibi nunquam defuturã esse profiteor.*

*Quæ tibi intelligam accommodata, omnia studiosè persequar, diligenterq; præstabo.*

*Omnia à me postules & exspectes: vincam etiam meis officijs cogitationes tuas.*

*A me omnia in te studia atq; officia, quæ quidem ego præstare potero, velim exspectes.*

*Ego quidquid in me est studij consilij laboris, ingenij, id omne ad hanc rem conficiendam polliceor ac defero.*

*Quæ mihi in mentem venient, quæ ad te pertinere arbitrabor, ea mea sponte faciam, si quid igno-*

*ignorabo, de eo admonitus, omnium studia vincam.*

*Ego, quæ te velle, quæq́; ad te, & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiosè diligenterqúe curabo: quæ cùm faciam beneuolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar. Hoc tibi confirmo, ac re præstabo, nullum in me studij genus aut officij quod ad rem tuam pertineat, quod ad laudem tuam valere videatur, vllo esse loco prætermissurum.*

Formulæ seruandi promissa.

*Seruare, Soluere, Exsoluere, Præstare promissa.*

*Satisfacere promissis, Stare promissis, Soluere, Tueri fidem.*

*Nunc agè, fac vt promissa appareant.*

*Quæ tibi promisi, bona fide præstabo.*

*Ego, si quid tibi promisi fidem non fallam, fidei non deero.*

*Quæ tibi promitto ac recipio, sanctissimè seruabo, diligentissimeq́; faciam.*

*Dabo operam, vt quod pollicitus sum, rè præstem, exsequar, efficiam, re confirmem.*

*Vt præstem fidem meam, soluam, tuear, seruem, probem.*

*Vt promissa seruem, obseruem, tuear, præstẽ, promissis ne desim.*

*Hac epistola, veluti chirographo, me tibi obstrictum habe.*

*Has litteras velim existimes fœderis habituras esse vim, non epistolæ, meq́; ea, quæ tibi promitto ac recipio, sanctissimè esse obseruaturum, diligentissimeq́; facturum.*

*Ego quid possim nescio, vel potius me parũ posse sentio. Illud tantum tibi polliceor, me quæcunque saluti tuæ conducere arbitrabor, tanto studio esse facturum, quanto semper tu & studio, & officio in meis rebus fuisti.*

*Si quid ad me scripseris, ita faciam, vt te velle intellexero: Sin autem tu minimè scripseris, ego tamen omnia, quæ tibi esse vtilia arbitrabor, summo studio, diligenterq́; curabo.*

Formulæ agendi gratias.

*Agere gratias fit verbis.*

*Habere gratiam animo.*

*Referre gratiam & gratias, fit opere.*

*Quibus verbis tibi gratias agã, non reperio.*

*Singularibus verbis mihi gratias egit.*

*Immortales ago tibi gratias, agamq́; dum viuam.*

*Ago tibi gratias immortales, singulares, mirificas, incredibiles.*

*Ago ingentes tibi gratias, quòd tuo consilio huc me induxeris.*

*Si pro vestris beneficijs in me immortalibus parũ vobis cumulatè gratias egero, quæso obtestorq́ue ne meæ naturæ potius, quam magnitudini vestrorũ beneficiorum, id tribuendum putetis.*

*Pro opera tam diligenter nauata, gratiam habeo, vt debeo, maximam.*

*Quod meum negotium tibi cordi fuerit, & res nostras tam officiosè curas, deamo te, & gratiam habeo, vt debeo, maximam.*

*Equidem gratiam & habeo, & habiturus sum*

*sum, quo ad viuam, maximam. (maximè.*

*De isthoc in me officio, amo te, & vt par est,*

*Isthoc beneficio fateor tibi me magnoperè deuinctum esse.*

*Hoc nomine plus tibi debeo, quam vt vnquam soluendo esse queam.*

*Sed vt, vnde est orsa oratio, in eodē terminetur, maximas tibi gratias ago, maiores etiam habeo. Nam relaturū me affirmare non possum.*

*Cumulatè alicui referre gratiam.*

*Par pari referre. Parem referre gratiam.*

*Parem rependere vicem. Mutuam referre gratiam.*

*Remunerabor te, &, Remunerabor tua merita.*

*Remunerare beneficium.*

*Reddere beneficium, Remetiri beneficium.*

*Reponere merita, Respondere meritis.*

*Retribuere, Compensare, beneficiū, gratiā.*

*Probare se gratū, ac memorē paribus officijs.*

*Nullis officijs tua beneficia remunerari possū.*

*Mihi ad remunerandum nihil suppetit, præter voluntatē: (tas, sed facultas.*

*Non deest remunerandi beneficiorū volun-*

*Plura in me contulisti beneficia, quàm vt pares tibi gratias referre queam.*

*Tuis in me tot ac tantis officijs, ne quidem quidquam gratiæ rependi vnquam.*

*Vtinam aliquando gratiam referre possimus: habebimus quidem semper.*

*Tu vt intelligas homini amicissimo te præbuisse officium, re tibi præstabo.*

*Quamquam tibi gratia referri tanta nō potest, quanta debetur: habenda tamen est, quantam maximā animus noster potest capere.*

*Tantis tuis beneficijs nō videor mihi respōdere posse, nisi fortè ita sensurus es, vt me referre gratiā putes, cùm beneficia tua memoria tenebo.*

*Verbulo duntaxat significa, quo genere officij queam tibi gratum facere: nisi id summa cū alacritate protinus aggrediar nomen meum inter ingratos scribito.*

*Ne leui quidem officio vnquam te demerui & vtinam esset aliquid, in quo declarare possim, & animum agnoscentem tua beneficia, & voluntatem reponendæ gratiæ cupidam.*

*Tuum admirabilem in me fauorem ac studium, multis iam argumentis habeo perspectum & exploratum quòd si facultas esset par animo, sentires te tantum beneficiorum haud quaquā penes ingratum collocasse.*

*Suspecta quædam res est, verbis beneficium rependere: tu si mei in te animi periculum facere velis, aliquid vicissim oneris impone. Nullam sarcinam tam grauem, tam molestam inieceris, quæ mihi tua caussa, non leuissima non etiam iucunda videatur.*

Formulæ memoris beneficij.

*Semper meminero, Memoria retinebo.*

*Tuebor mente atq; animo.*

*Nunquam obliuiscar, Nulla apud me delebit obliuio, beneficia, officia, merita erga me tua.*

*Tuorū meritorum erga me memoriam conseruabo.* Gratum

*Gratum me tibi,memoremq́; præstabo.*

*Præstabo tibi eam,quam debeo, memoriam meritorum tuorum.*

*Memorem me tibi, quæcunq; se occasio dederit,obtulerit,probabo.*

*Gratum me nullo non loco,nullo non tempore,memorem gratiæ referendæ, studiosumq́; tui senties,experieris,cognosces.*

*Enitar,& vt spero cõsequar,vt te de me optimè esse meritum læteris.*

*Vt officia erga me tua voluptati atq; lætitiæ (tibi sint.*

*Ut ex tuis in me officijs voluptatem capias, fructum feras,percipias, colligas.*

*Si quando dabitur opportunitas, declarabo me non fictè tuis fauere commodis.*

*Pro litteris ad me transmissis, gratiã habeo maximam: Si quod officium vicissim præstare queam,impera, id tuo iure facies.*

Formulæ gratum faciendi.

*Id mihi vehementer gratum erit.*

*Id mihi pergratum, perq́; iucundum erit.*

*Tam gratum mihi id erit, quàm quod gratissimum.*

*Id mihi sic gratũ erit,vt gratiꝰ esse nihil possit.*

*Per mihi,per inquam gratum feceris, si, &c.*

*Pergratũ mihi feceris,si ei declares.*

*Feceris mihi gratissimum, si eum ita tractaris,vt,&c.*

*Hoc mihi nihil potest esse gratius.*

*Nihil est quod mihi gratius facere possis.*

*Fecisti amicè tu quidẽ, mihiq; gratissimum, quod, &c.*

*Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curaris.*

*Vehementer mihi gratum feceris, si quibuscunq; in rebus sine tua molestia poteris, ei commodaris: quod vt facias, te vehementer etiam atq; etiam rogo.*

Formulæ diligenter commendandi.

*Vehemẽter te rogo. Peto à te maiorẽ in modũ.*

*Ita peto, vt maiore studio, magisve ex animo petere non possim, vt ei omnibus in rebus, quantum tua fides patietur, commodes.*

*Vt eum auctoritate tua quæ plurimũ valet, conseruatum velis, & cures, vt intelligat hanc meam commendationem maximo sibi apud te & adiumento, & ornamento fuisse.*

*VVingardum tibi vnicè, maiorem in modũ ita commendo, vt neminem diligentiùs.*

*Vt maiore curá, studio, sollicitudine animi magis ex animo commendare non possim.*

*Omnium tuorum officiorum, quæ & multa, & magna sunt, mihi gratissimum fuerit, si N. nostrum ita, tractaris, vt sciat, vt sentiat, vt intelligat, & se à me, & me à te amari.*

*Vt intelligat nullã rem sibi maiori vsui atq; ornamento, quàm meam cõmendationem esse potuisse.*

*Te. mi N. etiam atq; etiam rogo, vt omnia N. negotia, mea putes esse, curesq;, vt intelligat hanc meam commendationem maximo sibi vsui fuisse, hoc mihi gratius facere nihil potes.*

*Cõmendo tibi eũ non vulgariter: sed ita prorsus, vt quos diligẽtissimè valdeq; ex animo soleo,*

*Pergratum mihi feceris, si intellexero has litteras, tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse.*

*Gratissimum mihi feceris, si eum ita tractaris, vt merito tuo mihi gratias agere possit.*

*A te peto, rogo cures, vt intelligat diligenter me scripsisse de sese.*

*Id tibi recipio, te eum, quem soles fructũ à bonorũ virorum officijs expectare, esse capturum.*

*Ipsum tibi in ppetuũ deuinxeris, obligaueris.*

*Virum bonum, tuaq; amicitia dignissimum tibi adiunxeris.*

Formulæ adhortandi, monendi, suadendi.

*Vos & hortor, & moneo.*

*Illud te esse admonitum volo.*

*Tibi suadeo, atq; etiam rogo.*

*Tantùm te & moneo, & rogo.*

*Scribo ad te, vt admoneam.*

*Illud te ad extremũ oro & adhortor, vt, &c.*

*Magnoperè te hortor pro tuo singulari, perpetuoq; in Remp. studio.*

*Te moneo cùm beneficijs tuis, tum amore incitatus meo, vt, &c.*

*Tibi in primis suadeo, atq; hoc meo etiam iure præcipio, vt, &c.*

*Hoc tibi agendum censeo, si meo consilio parere volueris, vt, &c.*

*Tibi verò cum meo in te amore, tum tua causa impulsus suadeo, & si pateris, præcipio, &c.*

*Vide, Videto, Videbis, etiam atq; etiam cogita, Meditare atq; cogita.*

*Caue, Cauendum est tibi, Para te.*

*Contende quaeso, atq; elabora, vt, &c.*

*In hanc curam incumbe, vt, &c.*

*Tota mente incumbe in hanc curam & cogitationem.*

*Dabis istud amori nostro, vt in eam opinionem sententiamq́; te adduci sinas, quae cum tuis vtilitatibus est coniuncta.*

*Extra iocum moneo te, quod pertinere ad beatè viuendum arbitror, vt te bonis semper, probis ac honestis adiungas socium.*

Formulæ enitendi studio.

*Agam pro viribus, Pro mea virili, Pro mea parte virili.*

*Incumbam toto pectore, Cunctis viribus, Omnibus neruis, Omni meo studio.*

*Quantum est in me, Quantum in me positum, In me situm.*

*Quoad possum. Quantum valeo.*

*Quantum praestare possum, Quantum consequi viribus licebit.*

*Summè conabor, Contendam omni studio.*

*Enitar omnibus tū animi, tū corporis viribus.*

*Quidquid erit in me industriae, operae, diligētiae.*

*Conferā ad hanc rē omnes vires, omnia studia.*

*Elaborabo pro viribus, Minimè parcā viribus.*

*Dabo operam, quantum in me erit, Pro eo quod in me erit.*

*Adnitar equidē summo conatu iuuare honesta studia.*

*Nullum studium, Nullam operam, aut industriam praetermittam.*

Formulæ

Formulæ ſciendi aliquid.

*Scio, Certo vel certum ſcio.*
*Noui, Probè equidem noui.*
*Non me fugit, vel præterit.*
*Non dubito, Non dubiũ eſt mihi. (ſcius.*
*Non ignoro, Haud ignarus ſum, Nõ ſum ne-*
*Certò certius habeo, Liquidò mihi conſtat.*
*Exploratiſſimum mihi eſt.*
*Exploratum, vel compertum mihi eſt.*
*Fac planè vt ſciam.*
*Cura vt ſciam ſi quid iſtic acciderit noui.*

Formulæ ſperandi.

*Spero, Spero fore.*
*Spes eſt fore, vel futurum.*
*Multa mihi affulget ſpes.*
*Certa ſpe ducor, teneor, erigor.*
*Adducor, Vocor, Erigor, venio in ſpem.*
*In ſpem maximã tuis me litteris adduxiſti.*
*Spem habeo ſummã, Spem capio, vel conci-pio nõ exiguam. Spes me fefellit, fruſtrata eſt.*
*Exigua ſpes eſt, Spes omnis ſublata eſt.*
*Video ſpẽ noſtrã extenuari, & elangueſcere.*

Formulæ proponendi.

*Propoſui, Statui, Conſtitui, Decreui, Certò decreui.*
*Decretum eſt, Deliberatum eſt, Conſtitutum eſt, Conſtitutum habeo.*
*Illud mihi deliberatum eſt, & planè certum.*
*Stat, vel conſtat ſententia. Sic eſt ſententia.*
*Mea ſic eſt ratio, Sic in animum induxi.*

Formulæ eundi.

*Ire, Abire, Proficisci aliquò.*
*Conferre, vel recipere se in patriam.*
*Parare, Apparare, Adornare profectionem.*
*Institui iter, Accingere se itineri & ad iter.*
*Italiam petere, Concedere in Hispaniam.*

Formulæ incerti rumoris.

*Rumores sunt satis illi quidem constantes, sed sine auctore.*
*Rumores heic spargi cœpere, sed incerti, inanes, quibus haberi fides non debet.*
*Qui neq; nuntijs, neq; litteris comprobentur.*
*Quos veritas nulla confirmet.*
*Quibus omnis deest fides.*
*Qui nulla veritate, nullo satis firmo testimonio, nullo prorsus argumēto, vel ratione nitātur.*
*Si quid est certi rumoris apud vos, quæso, vt nobis impertias.*
*Si quid istic certi exstiterit rumoris, cures, vt quàm primùm sciam.*

Formulæ otiandi.

*Si dabitur otium. Si erit otium, Si quies erit.*
*Si quid otij nactus ero, litteras ad te dabo.*
*Nisi occupationes vrgebunt: Si per occupationes licebit.*
*Si curæ permittent, Si curarum expers ero.*
*Si vacuus ero, & liber à negotijs, Si mei iuris ero.*
*Si à negotijs vacabo, Si quid habebo vacui temporis.*
*Si quiescere licebit à curis, negotijs, occupationibus, molestijs.*

*Si meis*

*Si meis rebus, quibus nunc teneor implicatus, me explicauero.*

*Cùm dies à molestiis acciderit vacuus, respondebo ad omnia, quæ requiris.*

Formulæ curæ & sollicitudinis.

*Hoc me sollicitat, sollicitum habet, facit, anxium reddit.*

*Hoc mihi curam sollicitudinem, scrupulum, attulit, ingessit, iniecit.*

*Distineor, distrahor, variis curis, occupationibus.*

*Opprimor, Obruor Oneror, Impedior, Inuoluor, Intricor: Illaqueor, Obuincior, Illigor variis negotiis, occupationibus.*

*Multis negotiorum vndis obruor.*

*Tot occupationibus premor, vt vix somno tempus suppetat.*

*Ego ne Vlysseos quidem labores cum nostris conferendos censuerim.*

*Nos laboribus sic distringimur, vt existimem Herculi minus fuisse laboris cum hydra.*

Formulæ expediendi se curis.

*Vbi his curis solutus ero, Laxatus ero, me expediero.*

*Cùm his negotiorum turbis me extricauero.*

*Cùm me his negotiorum tumultibus exsoluero.*

*Cùm ab his negotiis me vindicauero, absoluero,*

*Cùm ex his malis enatauero, eluctatus fuero.*

*Cùm his curarum fluctibus, his vndis, his molestiis emersero.*

Formulæ litteras committendi.

*Eiusmodi*

*Eiusmodi sunt, Eius generis, Eius moment meæ litteræ, vt eas non audeã temere cõmittere*

*Non eius generis: Non eiusmodi sunt meæ litteræ, vt eas audeam temerè credere.*

*Epistolæ nostræ tantũ habent mysteriorũ, vt eas ne librarijs quidem libenter committamus.*

*Epistolæ nostræ eiusmodi fere sunt, vt eas nulli committere libeat, nisi de quo exploratum sit tibi eas redditurum.*

*Caue ne quid ad nos scribas periculosè: Nam litteræ frequenter intercipiuntur.*

*Illud te moneo, nè quid vnquam litteris committas, quod, si prolatum sit, molestè feramus: Multa sunt, quæ ego nescire malo, quàm cum aliquo periculo fieri certior.*

*Eiusmodi fere sunt epistolæ nostræ, vt in alienum incidere nolim.*

*Nolim sermonem nostrum in alienas manus deuenire.*

*Nihil ferè scribo, quod, si in alienas manus inciderit, molestè ferendum sit.*

Formulæ excusandi litterarum breuitatem.

*Oro, obsecro, ignosce, nõ possum plura scribere.*

*Plura otiosus: hæc, cũ essem in Senatu, exaraui.*

*Scribam ad te pluribus aliàs, cùm plus otij nactus ero.*

*Hæc scripsi festinans, properante ad vos tabellario.*

*Subitò, raptim, raptissimè, ex tempore, plus quam ex tempore.*

*Longior fuisset epistola, nisi eo ipso tẽpore petita esset,*

*ta esset cùm iam iretur ad te. (exspectato.*

*Cũ plus otij nactus ero, vberiores a me litteras.*

*Breuitate temporis tam pauca cogor scribere.*

*Breuiloquentẽ iam me tempus ipsum fecit.*

*Habes epistolã plenã festinationis & pulueris.*

*Plura scriberem, si iam putarem te libenter legere posse.*

*Breuitas tuarum litterarum, me quoq; breuiorem in scribendo facit.*

*Sum breuior, quòd, vt spero, coràm quæ volumus, breui conferre licebit.*

*Quid præterea scribam non habeo, & eram in scribendo conturbatus.*

*Pluribus ad te scriberem, ni mihi dolor facultatem mentis ademisset.*

*Cùm mihi erit exploratum, te libenter esse risurum, scribam ad te pluribus.*

*Pluribus verbis tecum agerem, nisi pro me res ipsa loqueretur.*

*Scribentem me hæc nunc cœna, nunc alia multa interpellant.*

*Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar amicitiæ nostræ diffidere.*

*Vix tantulæ epistolæ tempus habui atq; id ereptum è summis studiorum nostrorum occupationibus.*

*Præposteros habes tabellarios, cùm à me discedunt, flagitant litteras, cùm ad me veniunt, nullas adferunt.*

*Ignoscas breuitati mearum litterarũ: nam celeriter vna futuros nos arbitror.*

For-

Formulæ excusandi litteras prolixiores.

*Hæc fortè scripsi verbosiùs et tibi molestus fui.*

*Superioribus litteris beneuolentia magis adductus, quàm quod res ipsa postulabat fui longior.*

*Hæc ad te scripsi, fortasse pluribus verbis, quam necesse fuit: beneuolentia magis adductus quàm quod res ipsa postularet.*

*Hæc ad te scripsi paullò fusiùs, quàm par est, vt videres tuas quoque esse partes instituendi, & monendi.*

*Habes epistolam verbosiorem fortassis, quàm velles: quod tibi ita videri putabo, nisi mihi longiorem remiseris.*

*Hæc amore magis impulsus scribenda ad te putaui, quàm quòd arbitrarer te monitis, & præceptis meis egere.*

*Hæc scripsi ad te pluribus verbis, quam soleo: non otij abundantia, sed amoris erga te, quo me quadam epistola inuitaras.*

*Velim mihi ignoscas quòd tanta harum prolixitate te pæne obtundam: otiabar iam enim, & tuas volebam elicere.*

*Longior fui in his litteris, quàm aut vellem, aut putaui me fore: Sed suauitate cõsuetudinis tuæ, & studio tecum colloquendi euectus sum longiùs fortasse, quàm debebam: breuiùs certè, quàm volebam.*

*Sed hæc satis multa vel plura potiùs quàm necesse fuit: facit autem non loquacitas mea, sed beneuolentia longiores epistolas.*

*Sed*

*Sed iam modum, vel finem potius scribendi faciam: modum enim epistolæ iam diu, multumq́ excessi. Valebis igitur.*

*Sed prouehor longius, quàm volebam, & charta me deserit, vt vides, tecum suauissimè colloquentem, fac igitur valeas.*

*Sed iam vltra metas epistolam porrigo, dum tui amore mei ipsius oblitus rapior. Vale igitur, & nos vt soles, dilige.*

*Sed de his quoq; satis. Extremum est, vt te orem, vt Verrepæum tui amantissimum & diligas absentem & cùm opus erit, tuo patrocinio protegas ac tueare. Vale.*

Formulæ excusationis non necessariæ.

*Non erat cur te excusares.*

*Causam excusandi nullam habuisti.*

*Officium excusandi sine caussa suscepisti.*

*Minimè necessaria fuit excusatio tua.*

*Superuacanea fuit apud me tua excusatio.*

*Iusta & idonea quidem vsus es excusatione: sed ea nihil opus erat.*

*Tuam excusationem non desiderabam, requirebam exspectabam.*

Formulę transitionum.

Transitiones *vocò, cum ostendimus breuiter, quid dictum sit, ac deinde paucis indicamus, quid simus dicturi.*

*His vtimur in Epistolis, dum vel ad plures respondemus, vel ex vno argumento fit in aliud transi-*

*transitus, efficiuntq́ne, velut scopæ dissolutæ epistolæ turpiter diffluant. vt dictum est alibi.*

*Vt: Vni epistolæ respondi: venio ad alterã.*

*Habes ad superiorem: nunc audi ad alterã.*

*Persolui prioribus tuis litteris: nunc ad posteriores.*

*Longiori epistolæ respondi. Nunc breuiori quid respondeam?*

*Hactenus ad tuas litteras. Nunc de me paucis accipe.*

*Rescripsi fere ad omnia: Nũc nostra accipe.*

*Habes fere de rebus omnib vnũ illud addã.*

*Sed hæc hactenus: Addam etiam illud.*

*Sed hæc priuatim: Nunc quæ publicè.*

*Hactenus iocati: Nunc seriò agamus.*

*Hæc leuiora sunt: Quæ sequuntur grauiora.*

*Sed tristia mittamus: Reuertamur ad lætoria.*

Formulæ connectendi.

*Extremum illud est, vt te rogem, & obsecrẽ.*

*Reliquum est, Accedit eodem. Huc accedit.*

*Hæc eò pertinent, Longa sunt, quæ restant.*

*Nunc audi quod pluris est, quàm omnia.*

*Sed ad propositum redeamus.*

*Redeamus illuc, vnde diuertimus.*

*Vt ad rem redeam.*

*Redeo ad id, quod primò omiseram.*

*Redeo ad id. quod initiò scripsi.*

*Quid præterea? nihil, nisi vt incolumis ad nos primo quoq; tempore reuertare.*

Sunt & particulæ connectendi, *Prim-* ,

*.. deinde,*

*Deinde, Præterea, Posthac, Adhæc, His adde, Huc pertinet, Quin etiam, Quid quod, Denique Postremò, Porrò autem, Iam verò, Ceterùm, &c.*

*Quarum vsus in Auctorum lectione diligenter obseruandus est.*

Formulæ breuiter dicendi.

*Quid plura? Quid pluribus? Ne pluribus.*
*Quid multa? Quid multis? Ne multa, vel*
*Quid multis moror? (multis.*
*Ne te multis morer, teneam.*
*Quid verbis opus est?*
*Sed, ne diutius detineam te, vale:*
*Vt in pauca multa conferam.*
*Vt paucis concludam.*
*Vt rem paucis complectar, perstringam, comprehendam.*
*Vt breuitate vtar.*
*Laconica vtar breuitate.*
*Cic. Quid quæris?*

Formulæ epistolam longiorem abrumpendi.

*Sed iam plura, quam volebam. Vale.*
*Sed plura, quàm statuerã. Redeo ergo ad, &c.*
*Plura otiosius: hæc subitò & variè distractus.*
*Sed quid ago? lábor longiùs, Lõgius progredior.*
*Sed, ne longior, vale, & me, vt facis ama.*
*Sed de his satis, metuoq́, ne tu nimium putes.*
*Sed hac super re nimis multa, præsertim ad te.*
*Sed hæc pluribus fortasse verbis, quã sit necesse.*
*Sed iam longior sum, quam me fore putaui.*
*Vale.*

*Sed hæc satis multa, vel plura potius, quàm necesse fuit.*

*Sed de his satis superq;. Iam ad te ò & præsidium & dulce decus meum.*

*Sed quid ago? Epistolam institueram scribere, ea autem crescit in volumen.*

Formulæ epistolam concludeudi.

*Habes quæ scire cupiebas. Vale.*

*Habes fere de rebus omnibus. Vale.*

*Hæc habebam, quæ te scire vellem.*

*Hæc habui, quæ de his rebus ad te scriberem.*

*Habes, vt breuissimè potui, totum Reip. statũ.*

*Hæc fere sunt, quæ in præsenti tibi nota esse volui.*

*Hæc fere ad eas litteras, quas accepi abs te (proximè.*

*Epistolam ita concludam, Ita finem faciã, imponam.*

*Finem scribendi faciam, si te primùm monuero, vt me diligas.*

*Epistolæ clausula hæc erit, vt beneuolentiam in me tuam perpetuò conserues.*

*Reliquum est, vt à te petam, vt me de rebus Italiæ & Portugalliæ quàm sæpissimè facias certiorẽ, quo nihil gratius exspectare à te possum.*

Formulæ amicos in fine litterarum salutandi.

*Saluebit à me Loeuius, tum Ghilsius, Ottonij, & reliqui, quos istic me nosse putes.*

*Lindanum nostrum eximia spe, summæ virtutis adolescentem saluta meis verbis officiosè.*

*Amicos omnes, sed inprimis nostrũ Vettarum iubebis à me saluere plurimùm.* Opti-

*Optimo viro & homini doctissimo Rumoldo Verdonck nos etiam atq; etiã commendes rogo:*

*Ad Henricum Ruenum, si quid dederis litterarum adscribes à me illi salutem plurimam.*

*Apud amicos tu fac nomenclatorẽ agas, ac singulis ex me nominatim salutem dicito.*

*In salutãdis amicis, quoniã non vacat nunc pluribus scribere, Verepæi tui vices obeas velim.*

*Saluta à me communes amicos Vinandos, Colenos, Vossios, nam in præsentia non suppetit otium pluribus scribendi.*

*Ornatissimum virum Houelmannum meis verbis saluere iube deinde ceteros, quos fere habemus amicos communes.*

*Onerabo te nõ graui sarcina, vt Herbipolim proficiscens meo nomine salutem perferas ad amplissimum illius vrbis Antistitem.*

*Valebis vir humanissime, & cum dabitur opportunitas Becanos nostros Fabritium, Cruciũ, & Lanritæum multum à me saluere iube.*

*Contubernalem nostrũ Viscauiensem, si quãdo videris, voles, ac vacabit, paucis verbis, suò ipsius more à me iube saluere plurimum.*

*Saluere plurimũ ex me iubeas Danielẽ Susium Mechlinianum adolescentẽ optimis disciplinis deditissimum, dignumque tali parente filium.*

*Adolescenti multis animi fortunæq; dotibus ornatissimo Francisco de Pleyn precaberis à me salutem plurimam, & felicem studiorum successum.*

*Cum ad Maternũ Cholinum dabis litteras velim memineris accuratissimam meo nomine salutationem adscribere ipsi, vxori, & liberis.*

*De D. Theodoro Praefecto monasterij Caeciliani iam pridem nihil audimus, quaeso iubeas eum à nobis saluere, & meminisse vetustae nostrae consuetudinis.*

*Omnes quibuscũ istic viximus nominatim à me salutabis, seorsum autẽ humanissimo D. Reuero Helremanno me plurimũ cõmendes velim.*

*Delassatus sum studijs & scribendis litteris, quare te rogo vt apud Hunnaeum nostrum praeclarum virum mihi sis epistolae vice, donec dabitur otij pauxillum.*

*Brechtium, Bloemãnum & Verstegũ, ceterosq; quos scis amantes esse nostri, iube meo nomine saluere plurimum, & tu vale carissime Scoeffere, nosq́; quod facis, amare perge, tui prorsus cupidissimos.*

*Amicis meis verbis salutem nuntiato, nominatim verò humanissimis & integerrimis viris Vladeracco & Ottonio, quorum, cum istic agerem suauissima consuetudine valde oblectabar salutem ex me impertire plurimam.*

Formulae Valedicendi.

*Vale foeliciter mi Parisi in Christo Iesu.*
*Bene valere te cum omnibus tuis precor.*
*Bene vale vir animo meo longè carissime.*
*Vale mea carissima & optatissima mater.*
*Vale etiam atq; etiam, & salue plurimum.*
*Ne longior sim vale, & nos, quod facis ama.*

*Vale*

*Vale felix & faustus vir omniũ humanissime.*
*Bene vale cum suauissima coniuge dulcissimisque liberis.* (Max.
*Incolumem te nobis diu seruet Christus Opt.*
*Bene vale nostri memor præsertim in precationis.*
*Bene vale doctissime Doctor, & amice incomparabilis.*

*Vale, & boni consulas has litteras plus quam extemporarias.*

*Vale, & tumultuariam hanc responsionem æqui boni consulas.*

*Vale, & inconcinnam hanc rhapsodiam fac boni consulas.*

*Te cum vniuerso Collegio tuo quam rectissimè valere cupio.*

*Si me amas D. Lindane, valetudinem tuã diligentissimè cura.*

*Dominus R. T. A. Ecclesiæ reiq; publicæ diu seruet incolumem.*

*Bene valeat R. T. C. cui omnibus me modis, & ex animo commendo.*

*Vale, & Deum ora, vt incolumis propediẽ vobis tandem restituar.*

*Vale, & nos ama, si par pari referre velis, amore omnino non vulgari.*

*Vale mi suauiss. Goesseni, & tibi persuade te à me non vulgariter amari.*

*Vale, & si me amas, ad nos, vt facis, omnibus de rebus frequenter scribe.*

*Vale, plura ad te scribã, cum, quas auide exspecto tuas aliquando accepero.*

*Bene vale doctissime D. Susi, cui me totum, quantus sum, dico consecroq́ʒ.*

*Vale dulcissime & desiderati̇ssime Loæe, iterumq́ʒ & sæpius vale, atqʒ salue.*

*Cicero ad vxorem & liberos, Valete, inquit, mea desideria, valete.*

*Vale, & commenda me precibus Domino, mutuum orationis beneficium impensurus.*

*Bene vale in Christo Iesu, & me ex animo tibi fauentem redamare perge, iterum vale.*

*Vale, & si quid liberius & imprudentius effutiui, da veniam homini non aliter instituto.*

*Vale, & nos dilige, quod te facere ita nō dubito, vt nihil habeam tuo in me amore nec certius nec iucundius, vale iterum.*

*Valebis ipse, & humanissimum virum Henricum Coccium cum vniuersa familia bene valere iubebis, Rursum vale.*

Formulæ subijciendi aliquid post vale, quod prius in mentem non venit.

*Vale, sed heus tu, mane paulisper, omisi quod non minus libenter leges quàm cetera.*

*Vale, sed ò me obliuiosum, nunc demum occurrit animo, quod primo loco dictum oportuit.*

*Vale, sed obsignaturo epistolam illud percommodè venit in mentem, quod omissum dolerem.*

*Vale. Iam obsignaram epistolam, cum alteras tuas ad me litteras reddit veredarius, itaqʒ resignaui, & eadem opera binis tuis respondeo, ac primùm de Canisio nostro & Busæo.*

*Vale, Iam parabam obsignare litteras, sed quia præter spem otij non nihil obtigit, libet etiã diutius garrire tecum. Dodonæus noster, Gemma, & Scœpperus Brabantiæ nostræ medici celeberrimi, &c.*

FORMVLAE VARIARVM INscriptionum cuiusuis ætatis, vel status, aut conditionis hominibus accommodatæ.

*Quibus vtantur studiosi, donec sine cortice natare iam probè norint.*

Ad Episcopum.

*Reuerendissimo in Christo Patri D. Ioanni Hauchino Archiepiscopo Mechliniano & totius Belgij Primati, Domino suo summè colendo & obseruando. Mechliniæ.*

Ad Abbatem.

*Reuerendo in Christo Patri, cùm generis nobilitate, tum virtutis laude clariss. Theodorico Spierinck, Bernensium Abbati præstantissimo. Bernæ.*

Ad quemuis Cœnobiarcham.

*Probitate vitæ, raraq; eruditione excellenti S.T. Doctori Petro Bachero, Gandauensis Dominicanæ professionis vigilãtiss. Cœnobiarchæ. Louanij.*

Ad Monachum.

*Moribus & vitæ integritate venerando Domino Godefrido Leodio, Franciscani ordinis Monacho, amico suo haud vulgari. Louanij.*

Ad Decanum.

*Præstantiss. eruditione & integritate viro M. Rumoldo Vergheest, Collegij, maioris Ecclesiæ Melchliniensis Decano. Melchliniæ.*

Ad Canonicum.

*Doctis. & integerrimo S. T. Licentiato M. Antonio Bruninx Ecclesiæ maioris Siluaducensis Canonico & Archipresbytero. Siluaducis.*

Ad Pastorem.

*Eruditione & rerũ vsu ornatiss. S.T. Licentiato M. Petro Simonio Hiluarẽbecensium primario Pastori, Canonico, & Archipresbytero. Hiluarebecæ.*

Ad Sacerdotem.

*Optimo venerãdoq; Christi sacerdoti. D. Nicolao Pompeno, sacratarũ virginum Vallis S. Agnetis apud Dommelianos Hierarchæ. Dommeliæ.*

Ad S. Th. Doctorem.

*Insigni doctrina, & integritate clariss. S. litterarum Professori Regio M. Michaeli Bay Pontificij ollegij vigilantiss. Præsidi. Louanij.*

Ad D. Iurisconsultum.

*Eruditione & eloquentia præstantiss. V. I D. M. Ioanni Ramo, amico & patrono summè venerando. Louanij.*

Ad D. Medicum.

*Præstanti eruditione, multaq; experientia clariss. Mechlinianæ ciuitatis doctori Medico Remberto Dodonæo, amico incomparabili. Mechliniæ*

Ad Eloquentiæ Professorem.

*Eruditione virtuteq; ornatissimo viro Cornelio*

*nelio Valerio Vltraiectino, in celeberrima academia Louaniensi Eloquentiæ Professori. Louanij.*

Ad Principem.

*Illustris. D. Alberto vtriusq; Bauariæ Duci, Principi, Palatino Rheni, Mæcenati suo, & Patrono liberalis. & benignissimo.*

*Monaci.*

Ad virum Nobilem.

*Generoso & antiqua nobilitate illustri, viro, Adolpho à Cortenbach Toparchæ in Helmont, Burgrauio in Veuren, Duisburg, Domino suo summè colendo. Helmondæ.*

Ad virum summæ dignitatis.

*Clarissimo viro D. Vigilio Zuichemo arcani consilij Regis Hispaniarum dignis. Præsidi, & auratæ militiæ Cancellario. Bruxellæ.*

Ad Consulem:

*Claris. & integerrimo Domino Ioanni vander Linden Equiti inaurato, oppidique Louaniensis Consuli meritissimo. Louanij.*

Ad virum Consularem.

*Virtute & singulari vitæ integritate præstanti viro Gerardo Paludano ciuitatis Bredanæ viro Consulari. Bredæ.*

Ad virum honoratum.

*Prudentia multoq; rerū vsu excellentis. viro Damaso Lindano Mæcenati suo benignissimo. vnicè colendo. Dordraci.*

Ad Aduocatum.

*Excellenti eruditione & prudentia consilij Brabantiæ Aduocato M. Ioanni Houelmāno.*

*Ioan. Consiliarij F. cognato suo carisſ. Bruxellæ.*

Ad Secretarium.

*Ornatisſ. & integerrimo viro M. Cornelio vanden VVerck ciuitati Bredanæ à secretis, amico suo percaro. Bredæ.*

Ad Fratrem.

*Ingenuo & optimæ spei adolescenti Philippo Paludano, liberalium disciplinarum in collegio Gandauensi studioso. Louanij.*

Ad Patruum.

*Circunspecto prudentiq́ȝ viro Lamberto Loeuio ab Outhuesden, patruo suo apprimè colendo & honorando. In Outhuesden.*

Ad Contubernalem.

*Generoso, summaq́ȝ eruditione adolescenti Iacobo vander* Noot, *contubernali suo, & amico sincero. Hiluarenbecæ.*

Ad Contubernales.

*Generosis, litterarumq́ȝ candidatis adolescentibus Frederico Renessio, Liberto Turck, & Guilielmo Spierinck, contubernalibus suis iucundissimis. Hiluarenbecæ.*

Ad Sodalem.

*Liberali indole, & eximia spe adolescenti, Ioanni vander Linden liberalium disciplinarũ cum primis studioso. Hiluarenbecæ.*

Ad Sodales.

*Ingenuis & optimæ spei pueris, Ioan. Hallæo, Iac. VVislst, Hub. Parisio, Corn. Cetero, & Adriano Hauermanno, sodalibus lepidisſ. & dilectisſ. Hiluarenbecæ.*

Ad

Ad Amicum.

*Spectato & industrio ciui Hieronymo VVel læo ad signum Diamantis Bibliopolæ, amico suo integerrimo. Louanij.*

Ad Mercatorem.

*Eximio & circumspecto viro Ioanni de Bie, apud Antuerpianos, œnopolæ, cognato suo, & amico singulari. Antuerpiæ.*

Inscriptionem ad Patrem & præceptorem *vide suprà, sub finem libri Primi.*

Inscriptionum aliquot syluula.

*Eximiæ pietatis viro.*
*Singularis doctrinæ viro.*
*Summæ integritatis viro.*
*Ornato & splendido viro.*
*Eximio & religioso Patri.*
*Viro vndecunque doctissimo.*
*Eximio S. Theologiæ Doctori.*
*Erudito pariter ac probo viro.*
*Singulari vitæ integritate viro.*
*Claris orto natalibus adolescenti.*
*Venerabili & circumspecto viro.*
*Doctissimo & integerrimo viro.*
*Multis nominibus ornatissimo viro.*
*Ornatissimo præstantissimoque viro.*
*Amplissimo grauissimoque Domino.*
*Virtute & integritate præstanti viro.*
*Nobilitate & virtute egregio viro.*
*Præstanti eruditione & integritate viro.*
*Clarissimo pariter ac humanissimo viro.*
*Auctoritate & prudentia ornatissimo viro.*

*Pientißimo viro S. Theologiæ Licentiato.*
*Viro omni virtute integritateq́; præstanti.*
*Vtriusq; Litteraturæ callentißimo viro, &c.*
*Summa virtute & singulari humanitate viro:*
*Reuerendo pietateq́; & doctrina præstãti viro.*
*Insigni pietate & eruditione præstanti viro.*
*Eximiæ tum indolis, tum etiam virtutis adolescenti.*
*Vitæ morumq́; integritate præstanti celebriq́ue viro.*
*Ingenio, doctrina, & eloquentia excellẽtiß. viro.*
*Priscæ & veræ nobilitatis insigniſq; eruditionis viro. (Senatori.*
*Nobilitate, prudẽtia, & eruditione clarißimo*
*Viro omni virtute, doctrina, & eloquentia ornatißimo.*
*Eximio viro N. N. optimarum disciplinarum ac Iurisprudentiæ callentißimo.*

## CORONIDIS LOCO

Subijciemus selectiora aliquot cuiusuis status, ætatis, & conditionis Epitheta, quorum in conscribendis epistolis, & maximè in superscriptionibus, vt vocant, frequens est vsus.

*Quorum ad hæc nõ modo copiam maiorem: sed etiã delectum, & proprietatem, prudentia, quæ cum ætate crescit, & diligens præstantium scriptorũ lectio, & obseruatio, suppeditabunt.*

*Sunt porro in hac scriptione diligentißimè obseruãda quæ suprà libro Primo de inscriptione præcepimus.*

Pon-

Pontifex Maximus.
*Pontifex summus.*
*Sanctis. Beatissimus.*
*B. Petri Apostolorum Principis successor.*
*Iesu Christi vicarius.*

Cardinalis.

*Amplissimus.*
*Illustrissimis.*

Episcopus.

*Reuerendissimus.*
*Præsul sanctissimus.*
*Antistes religiosissim'.*

Abbas, Monachus.
Pastor, Sacerdos.

*Reuerendus, Colēdus*
*Venerādus, Honorād.*
*Religiosus, Religiosiss.*
*Honestus, Probatus.*
*Egregius, Eximius.*
*Excellens, Præstans.*
*Vigilantissimus.*
*Integerrimus.*
*Christi venerandus sacerdos.*
*Religione & pietate conspicuus.*

Imperator.

*Augustus.*
*Inuictissimus.*
*Potentissimus.*
*Apud veteres Diuus, quod ex adulatione videtur natum.*

Rex.

*Gallorum Christianiss.*
*Hispanorū catholicus.*
*Britannorum Sereniss.*
*Clementissimus.*
*Potētissimus, quæ duo vt etiam Serenissimus. cōmunia sunt Regibus & Archiducibus.*

Dux seu Princeps.

*Illustrissimus.*
*Clarissimus.*
*Excellentissimus.*

Comes, Marchio.

*Illustris. Inclytus.*

Baro.

*Generosus.*
*Nobilitate generis clarus.*
*Generis nobilitate illustris.*
*Antiqua nobilitate splendidus.*
*Antiquæ nobilitatis vir.*

Consul.

*Clariss. grauissimus.*
*Optimus & præstātiss.*
*Vigilan-*

*Vigilantissimus.*
*Diligentissimus.*

Senator.

*Ornatiss. Prudentiss.*
*Lectiss. Honestissimus.*
*Reip. studiosissimus.*

Prætor, Iudex.

*Iustiss. Integerrimus.*
*Incorruptissimus.*
*Iustitiæ patronus.*

Theologus.

*Eruditiss. Doctiss.*
*Sacrarũ vel Diuinarũ scientia præstantiss.*
*Sacrarum scriptur. interpres.*
*Sincerus S. Th. professor.*
*Eximius, Egregius Theologus.*

Iureconsultus.

*Celeberrimus, Eximius.*
*Legum peritissimus.*
*V. I. consultissimus.*
*Cum sapientissimus. tum integerrimus.*

Medicus.

*Clariss. fidelissimus.*
*Multo vsu excellentiss.*
*Medicinæ doctor præstantissimus.*
*Artis medicæ professor expertissimus*

Vir præclarus.

*Vir primarius*
*Omni laude digniss.*
*Vita & morib. ornatiss.*
*Clariss. & laudatiss.*
*Probitate & humanitate conspicuus.*
*Optimè de Rep. meritus.*
*Prudentia & auctoritate nobilis.*
*Pietate & eruditione insignis.*
*Excellenti doctrina & virtute egregius.*

Pater.

*Cariss. Optimus.*
*Plurimum obseruãdus.*
*Perpetuo amore venerandus.*

Mater.

*Suauiss. atq; optima.*
*Cariss. & dulcissima.*
*Plurimum honorãda.*

Vxor.

*Optima, Carissima.*
*Fideliss. Suauissima.*
*Fideliss. atq; Optima.*

Frater.